





3. 1710 31 172 4
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

**OFFICIO MEDICI
CIRCA CASUS CHI-
RURGICOS DICTOS.**

Quam

SUB DIVINIS AUSPICIIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEBUR-
GICI GUBERNATORE, RELIQUA,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. p. r.
DECANI SPECTATISSIMI,

**DN. PATRONI, AC PROMOTORIS SUI, OMNI OBSER-
vantie, humanitatis ac pietatis cultu æternum prosequendi,**

PRO LICENTIA,

Summos in arte MEDICA HONORES, Jura, ac Privilegia rite
ac legitimè capeffendi,

Ad diem Julii MDCCX, H. L. Q. C.

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet

JOHANNES GEORGIUS Hertel

PRACTICUS WURCENSIS.

HALÆ MAGDEB, Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

OFFICIO MEDICI
CIRCA CASUS CHI
RUGICOS DICTOS



DR. GEORGI ERNESTI STAMM

PRO LICENTIA

JOHANNES GEORGIUS STAMM





PROOEMIUM.



Silenos Alcibiadis me-
morant simulacra fuisse, ea dex-
teritate fabricata, ut, cum semel
serium quiddam, aut plane sacrum
sub certo sui positu, oculis obtu-
lissent, mutato flexilium partium
situ, ridiculam, aut obscenam i-
maginem exhiberent. Non attinet dicere, quid de u-
su horum, ad quem Alcibiades icunculas has adhibere
sueverit, historici narrent; cum sufficere possit dixisse
quod hæ relationes imitentur potius, quam simpliciter
proferant, hos Silenos: dum aliæ scurræ ex Alcibiade
faciunt, serias res in jocosis atque risus hac ratione tradu-
centem: aliæ plane contra, è jocosis & futilibus initiis
ad serias contemplationes revocandi, hoc ipso medio
artificem eundem repræsentant. Illud satis certum est,
quod omnia hominum cœpta, & ipsa rationi humanae
occupatio atque applicatio, Silenorum horum sculpti-
lium indolem, quam maxime sequantur; dum alibi in-
utiles res seriis anteferre, imo has velut in istis conver-

tere & transfigurare, aggrediuntur: alibi vero, ex ad-
 verso, inanes res & occasiones, tanquam in meliorem
 viam & usum reducere allaborant: aut certe emendare
 minus utilia, & ut bono alicui scopo inservire possint
 supplendo atque instruendo, adornare cordi habent.
 Elucescit autem in hoc genere triplex propemodum
 scopus & propositum animi humani. Ita enim alibi,
 nihil sibi neque inaccessum, nec invictum reputans, ad
 minimum voluntate, omnia complectitur. Habet au-
 tem subinde in hoc genere opus, consolari se poetico il-
 lo - *si non tenuit, magnis tamen excidit ausis*. Altera via,
 trita propemodum mortalibus ab uno extremo ad alte-
 rum transgressione, nimium vel timens, vel negligens,
 odit vastas diffusiones, & ad singularia potius se restrin-
 git: neque sic damnando cepto, si potius est vera sua-
 rum virium aestimatione (ut per individua) hoc agat,
 quam ex ignavia, aut nimis parva de bene ordinata ra-
 tionis usu fiducia, ita ut in genere, decernat, & quod
 ipse non possit, id alium etiam neminem posse, ignava
 arrogantia arbitretur. Tertia vero via beatum utique
 illum in rebus humanis modum, auream mediocrita-
 tem, observans, sola inservit ad componendas rerum
 ita dissidentium lites, & quid tranquilla atque bene or-
 dinata ratio valeat, aut nequeat, faciendum. Harum
 rerum ut specimina aliqua est Medicæ Artis complexu
 exhibeamus, allegare volumus triplex mortalium institut-
 tum, circa discendam atque tractandam Artem Medi-
 cam. Equidem jam ipse quoque Hippocrates hoc,
 ipsa collectionum suarum solertia, professus esse agnosci
 potest, & tanto magis Galenus, minoresque æque, ut
 vulgo audiunt, Græci, quam Arabes, cum suis affectis,
 quod

quod unus idemque homo, toti morborum cohorti, cognoscendæ atque artificiose demandæ, sufficere, & artem hanc tam discere abunde, quam exercere, possit. Et habent profecto, & habuerunt omni tempore, idem sentientium, maximum cœtum. Contrarium visum fuisse hominibus, antiquissimæ atque profundissimæ sapientiæ nomine, vulgo celebribus, Ægyptiis, & antiquiora aliqua monumenta fidem faciunt, & suo adhuc tempore ejus rei vestigia reperta affirmat prosper Alpinus: dum nempe non nisi singulis morbis seorsim dictos atque operam suam addicentes Medicos, educari atque tolerari, consultum duxerunt. Suppetit autem omnino huic apparenti contrarietati remedium, ab ipsa media harum rerum consideratione, & justa distributione, expectandum: dum nempe antiquæ illæ admonitiones, solerti pensitationi, sed tanto magis, circumspiciendo usui, commendantur: *Non omnia possumus omnes;* &: *Meiri se quamque suo modulo ac pede verum est.* Licet enim negari minime possit, tanto magis autem prudentissime expendi, & justissimo usui adhiberi deberet, verissima illa observatio, quod ingenia vastioris talis ambitus & complexus, ut latissime certe patentem medicam Theoriam atque Artem, satis dextre & feliciter exhauriant, non certe ita quotidiani proventus, & ubilibet obvia, existant: tamen, cum etiam nulla talia dari, aut non, si modo justus selectus institueretur, tot quæ sufficere necessitati possent, etiam minus firmum foret assertum; non videtur propterea, ita ut in univ-
sum, huic instituto jus suum derogari posse, & omnia ad nudas illas sigillares praxes & administrationes medicationum, singulorum hominum pro singulis morbis, re-

vocare & adstringere. Unde quidem media in his rebus via, planissima æque atque securissima, certo futura esset illa, ut idoneis & bene habilibus tantum ingenio, Medicinæ discendæ atque exercendæ facultas concederetur: secus autem affectis, libertas illa veluti promiscua non pariter tribueretur: Interim, cum ne votis quidem, nedum consiliis talibus, ullus pateat locus, bonæ fortunæ, imo potius Providentiæ divinæ commendanda est atque relinquenda negotii hujus universitas: cui libet interim artem hanc aggredienti, consultissimum utique fuerit, uti Scientiam, ita Conscientiam suam, serio ad examen revocare, quousque tam arduo negotio atque cœpto parem sese ipse judicare possit, & quanto cum studio ac industria, omnes vires eo intendere conveniat, ne majore iisdem, imo vel plane aliena ab illis, temere occupentur, in publicæ, & proximi privatæ, rei, & multum, & magnum detrimentum. Ne tamen inanem operam impendere censeamur, in talibus admonitionibus proferendis, quas insignem aliquem effectum sortituras esse, vel nostro ipsorum judicio, parva spes affulget; placuit exemplum quasi strictius, è specialioribus artis medicæ partibus perlustrandum sumere, & qualem usum in illo habere possit, tam universalis illa notitia, quàm particularis peritia, imo potius utrarum que iusta subordinatio atque conspiratio, explanare: tanto magis utique, cum ejusmodi exemplum, admodum frequente casu, in Republica, non solum querelas, & injustas aliquando imputationes universæ arti incumbentes, excitet & veluti provocet: verum etiam altercationes & forensia litigia satis sæpe invitet: quibus omnibus rebus, atque adeo oriundis inde ægrorum peri-

ri-

riclitantium damnis, ulla alia ratione consuli nunquam poterit, nisi illa sola, si cuique suæ partes, ut jus fasque est, non solum recte atque ordine tribuantur, verum etiam potius injungantur, imo serio tunc ab unoquoque exigantur, quando vel necessitas à priori postulat, vel posteriori, de administratione debita auxiliorum, quæstio aut querela incidit. Dignam autem omnino judicavimus hanc considerationem, quam pro **THEMATE INAUGURALI** tractandam nobis sumeremus, nempe de **OFFICIO MEDICI CIRCA AFFECTUS ET AUSUS** vulgo **CHIRURGICOS** dictos.

DEUM autem **T. O. M.** supplices veneramur, ut etiam hac in parte medicæ disquisitionis, animum nostrum ad veritatem puram & sinceram commonstrandam, dirigere atque viribus idoneis instruere clementissime dignetur.

I.

DE OFFICIO MEDICI, CIRCA AFFECTUS ET AUSUS CHIRURGICOS, vulgo dictos, sermonem habituri, quid proprie in animo habeamus; exprememus in ipso statim limine; ita tamen, ut nihil, amplius, quam summos rei apices hoc in loco exponamus, & tanquam nominum solum verum significatum, adeoque nostrum circa illa sensum, explicemus. **CHIRURGIA** equidem, quid vi vocis ipsius denotet, notum abunde est. Sed nihilo quoque minus notum, quousque vulgò illa extendatur; Nempe non tam ad illa solum, quæ *mano* immediatè, perficiunt aut exsequuntur; Sed per versa certè *ἀκρολογία*, quicquid *manu* solum *admoventur*, & simpliciter

ter applicatur, apprimitur, alligando firmatur. Talibus operationibus, nempe solum apponendi res, quæ de reliquo ab omni manuum directione, imo quacunque illarum potestate longissime absunt, *Chirurgiæ*, nomen tribuere si conveniret, longe certè majore jure *pharmacopæis*, imò quam maxime illorum *famulis*, *Chirurgorum* nomen, hoc, in sensu competeret, qui longe plus *manibus* ad harum rerum productionem concurrunt, quam vulgo dicti *Chirurgi*, utpote qui de reliquo tantundem sibi, quam ipsi patienti, ignotas easdem res, nude & simpliciter loco alicui admovendo, quicquid hic *Chirurgiæ* nomen exhaurit, eo ipso absolverunt; adeo, ut hoc intuitu quilibet patiens, aut quicunque demum ipsi assistens, hanc *Chirurgiam* tam doctè atque scitè, imo etiam in plerisque casibus tam dextrè, applicare & administrare possit, quam vel disertissimus *Chirurgus*. Interim, cum tyrannus ille meliorum morum, *usus*, ad vulgo dictos *Chirurgos*, etiam hoc negotium devolverit, iisque tanquam *obnoxium* addiderit, orta hinc est appellatio illa *catachrestica*, ut *Chirurgicorum* affectuum atque *casuum* nomine, vulgò veniat, quicquid vel nuda applicatione *manuali* ægris adhibendum occurrit.

II.

Cum autem prolixis præmonstrationibus opus non habeat, sed facillimè potius intelligi possit, quod in hujusmodi casibus *boni*, imò cujuslibet, *effectus* universa vis, absolute posita sit in illarum rerum, quæ ita applicantur, *intra* energia atque efficacia; cujus non *applicatio*, & quæcunque tandem *appositi* seu *adhibito*, sed vera *cognitio*, *intellectus*, & *judiciosa* destinatio, universum *reicardinem* ita exhauriant: agnosceret proinde facile quilibet, quam solido atque pleno jure, hanc rem *Medicæ Chirurgiæ* nomine complectantur illi, quibus non tam *scholastica*, quam plane *practica*, distinctionis, *utilitas*, imò verius quotidiana necessitas, nota satis & perspecta est. Ut itaq; sensus propriæ ille hic subsit, quicquid *externa manuali* appositione, corpori adhibendum venit, illud equidem tantis-

tis-

tisper *chirurgicae* applicationis nomen fortiri possit; interim, cum totus ejus *usus & effectus*, magis pendeat, à solida *notitia*, & *judiciosa* destinatione, qua tali cuique affectui, certa talis materia convenire, judicari atque decerni debet: non *manuum* certe, sed *ingenii*, & cum recta ratione efficacis habitus, pluribus, & penitioribus *comparationibus & considerationibus* innixi, est illa *discernendi* atque *decernendi* habitus: manente tandem *manibus* earumque officiis ultimo loco, res bono judicio discretas atque decretas, simpliciter ad locum debitum apponendi.

III.

Cum autem contra hunc harum rerum *ordinem*, & unicum verum atq; justum *usum*, ipsum imprimis vulgus Chirurgorum, a suis certe iniquis, imo passim etiam temerariis, indies infurgat, & sibi plenum harum rerum jus atque potestatem, illiberaliter arroget atque sumat: ad *Officium* certe *Medici* pertinet, ita rebus his invigilare, quò non solum *Respublica Medica*, sed omnino etiam universa *Civilis*, nulum hinc detrimentum capiat. Id, quò deo cum primis absolvetur, si, qua pollet usquam propria, aut *Magistratum* publicorum sociâ, autoritate atq; concursu, in illud incumbat, ne Chirurgis, maxime omnium autem *minus peritis*, liberum sit atque concessum, ut sine *consilio* aut *consensu* Medici, res *medicamentosas*, pro nuda sua opinione & arbitrio, promiscue, patientibus adhibeant. Tantò minus autem in *difficilioribus* atque verè *intricatis*, imò verius *complicatis*, casibus, ubi etiam *interna* Medicatione *pharmaceutica* judiciose subordinanda opus est, suis consiliis & auxiliis omnia vindicent atque permittant: multo minus illud sibi sumant, ut ipsi pariter harum etiam universarum rerum, *experimenta* sumant, & jam *Purgantia* pharmaca, jam *Diaphoretica* regimina, jam *Venesectiones*, jam nescias quæ *Arcana*, in corpus assumenda, interponant.

B

IV. Quia

Quia verò usus & ausus tales, nequaquam semper unice à *Chirurgis* ipsis vulgo dictis dependent; sed pluribus quam quidem deceat aut expediat, exemplis, ab illis, partim conivendo, partim fovendo; sustentetur, quorum non solum auctoritas, sed ipsum etiam officium, obicem potius his turbis & abusibus ponere, conveniret: præterea etiam locum hic habere possit illa differentia, quando unus Chirurgus præ aliis, veriore longo usu, non vano prætextu, allegata experientia potius, præsto est: quo utroque casu prudens utique *temperantia* locum habeat, imo postulet: Erit propterea etiam hanc rem expendendi & prudenter denotandi, locus. Qui propter has utique res, iusto ordine prosequi & exequi satageamus.

V.

Chirurgiam, stricto atque proprio sensu dictam, occupatam esse circa *manuales* operationes, quibus corporis humani, *solidarum* præcipue, partium vitiis, aut, *per solidas, fluidarum* aliquibus necessitatibus subveniatur, neminem latere potest. Unde habet ita considerata Chirurgia, quod exerceat in *Vulnerum, Ulcerum, mundificatione* manuali; *Fracturarum* atque *Rupturarum* repositione: utrarumque *deligatione*: Rerum præter naturam *abscedentium* eductione atque *remotione*: *Humorum*, qua patet proxima via, per Incisiones patefacienda, *emissione*: Rerum quarundam extrinsecus *applicandarum*, quantum *manuum & instrumentorum* ope fieri potest, *dextra admotione*: &c. & ad omnes hos affectus infervientibus instrumentorum applicationibus. Verbo, quousque vel *libere*, vel artificiosis *instrumentis* armatæ, *Manus*, pertingere, atque opem per *operationes* ferre possunt, operationes inquam crassius *machinales*, & partibus etiam *crassioribus* corporis, ut *immediate*, adhibendas: eousque extendit sese, ditio, vera, atque iusti limites, vero sensu sumptæ Chirurgiæ. Ad *Medicam* vero utique, quam maxime *scientificam*, & plu-

pluribus *rationalibus* considerationibus, comparationibus, & hinc formandis conclusionibus superfruemdam, *estimatio- nem, consultationem, atque ultimam destinationem*, pertinent omnia illa, quæ subtiliori alterationi craseos humidarum partium, & tempestivis earundem *motionibus* per partes solidas, conducere, & pro constitutione, certo aliquo tempore deprehendendâ, convenire, œconomix corporis bene conscia & edocta *Ratio*, suadet; *Experientia* vero, non cruda, sed omninò solers atque circumspècta, docuit, per quæ *Remedia*, tanquam *instrumenta*, utilis, seu potius necessarius, hujusmodi artificiosus effectus, obtineri possit.

VI.

Jam verò, si etiam quam maximè *intra solidas partes*, sed tamen ab *humoribus*, aliquod vitium prognatum præsto sit, quod non simplici *emissione* emendari possit; sed *craseos* prius humorum alterationem, vel ab arte, vel à justo tempore, expectare possit atq; debeat: Quilibet utique facile intelligit, quod talis constitutionis justa agnitio seu *dijudicatio, mente* sola exercitata, & multiplicium respectuum, eorumque justæ comparationis, peritâ, discerni, & quicquid circa illam, aut ad illam, conveniens fuerit, decerni possit. Frustra vero, simpliciter, ad hujusmodi res statuendas, omninò sit, omnis *manualis dexteritas, & machinalis, babilitas* æque, atque *agilitas*. Unde utique ad hujusmodi constitutionem *Medicopharmaceutica* peritia opus est; notitia videlicet sufficiente ejusmodi *Remediorum*, quæ partim materiam ibi coacervatam, & quicquidque, imo vel solum *coagulationis*, dyscrasia affectam, corrigere & ad refluxum disponere: vel partes continentes ita afficere possint, ut illæ ad reprimendum, (tremulo suo & quasi fremebundo, subtili motu *tonico*,) adeoque dispellendum quicquid ita incumbit, tanto vegetius concurrant. Sicut etiam in ita apertis locis, ut *Medicamentum*, humorem corruptum vere immediatè tangere valeat, pro *corrigen- da*, præsentè, & *inhibenda* adhuc ulteriore, corruptione, idonea

pharmaca tam cognoville, quam cum recto iudicio, veris suis subjectis, nempe illis, quibus propriè debentur corruptelarum speciebus, recte adhibere, *iudicii* utique exercitati, & *scientiæ*, non autem *operationis* alterius artificiosæ, est objectum.

VII.

In hoc nempe versatur illa, de qua sermo nobis est, *Médica* Chirurgia; nempe, non solum *Pharmacia* Chirurgica, seu notitiæ sufficiens Medicamentorum, quæ ad corrigendos, resolvendos, dispellendos humores, alicubi ita negotium facessentes, recte inservire possint; verum etiam *intellectus* iustus, *temporis*, *ordinis*, iustæ *subordinationis*, & debitæ *observationis*, atque prudentis quasi *gubernationis*, propriarum naturalis *synergiæ*, instaurationum atque reparationum. Quæ omnia, inquam, atque singula, habent utique plane aliud aliquid, quam quod *Chirurgiæ* nomine, quomodocunque tandem sumto atque dilatato, comprehendi, aut in ejus ambitum ullo jure, imò ulla specie, includi possit.

VIII.

Paratam quidem jam pridem novimus responsionem, quod efficacia Medicamentorum talium, qualia his scopis verè quadrant, etiam ita nudæ *experientiæ* insistere possit, ut sola memori mente comprehensa experientia de eadem, sine ulteriore *speculativa estimatione* aut comparatione, necessariis administrationibus talium, satisfacere possit. Sed est etiam reverà nihilominus prompta æquè, atque agnitioni prudenti perceptu facilis, responsio, duabus in primis positionibus innixa. Nempe 1.) quod tota hæc assertio minimè sit simpliciter & absolute vera atque firma; dum non modo varii, sed etiam satis frequentes, ejusmodi casus occurrunt, ubi nudæ hæc notitiæ *generalis*, negotium minime exhaurit, sed potius longe solertior comparatio atque *dijudicatio* constitutionis præsentis æque, atque succedentis de tempore in tempus, necessaria magis sit, quam solum utilis; 2.) Et quæ ipso etiam solertiore, di-

ju.

judicandi res præſentes, & decernendi res præſtandas, dexte-
 ritate, non *Manuum*, ſed *Ingenii*, præſentibus neceſſitatibus
 conſulendum venit. Ubi in primis in complicatis caſibus &
 ab *individuali* patientium aliqua conſtitutione peculiari ſu-
 ſtentatis; aut à *cacochymia* univerſaliore ſomitum ſuum tra-
 hentibus, altiore certe pericia opus eſt, quam quæ in officinis
 chirurgicis uſitatis, nempe *Tonſtrinis*, quæri debeat, nedum in-
 veniri poſſit. A *Medico* verò, niſi hoc nomine penitus indi-
 gnus eſſe velit, ita non poſſit, nedum ut ullo modo debeat, ab-
 eſſe, ut potiùs ad prima atque intima artis ſuæ fundamenta, il-
 lam abſolutè pertinere, non poſſit ignorare.

IX.

Auditur autem etiam alia obſectio, ſed quæ etiam ſpontè
 prodit, quod à talibus hominibus proficiſcatur, quibus illa e-
 molumento eſſe non poſſit: dum nempe ipſa hæc, defectum
 iudicii atque ſolidæ diſcretionis tanquam ob oculos ponunt.
 Homines eſſe monet, tam Chirurgos, quam Medicos; nem-
 pè rectâ ratione ita inſtructos, ut ejus uſum, tam illi quam hi,
 rectè inſtituere valeant, neutri autem de prærogativa ſimplici
 & in primis velut in præjudicium aliorum, vel poſſint gloriari,
 vel debeant. Unde concludunt, tam Chirurgum, quam Me-
 dicum, juſta *informatione*, ſolerti *ſtudio*, longa autem in pri-
 mis atque circumſpecta *experientia*, compotem fieri poſſe,
 quantacunque tandem ſupponatur, aut rei ipſa requiratur. Sed
 quis non intelligit, quod hac ratione primò imperitè mutetur
 ſeu confundatur ſtatus quæſtionis; quæ nuſquam eſt, quid
homo, adeoque Chirurgus aliquis, quatenus *homo* eſt, poſſit
 comprehendere & condiſcere: ſed quid, quæ *Chirurgus*, de-
 beat ſcire? *debeat* inquam, poſſe magis, nempe *manuali* dex-
 teritate, toties quoties, exercere atque in effectum deduce-
 re: Ita ut illud non poſſit *neſcire* aut non callere, niſi exquisi-
 tiſſime nomen *Chirurgi* amittere velit. Harum autem rerum,
Pharmaceuticæ inquam Chirurgicæ, non poſſit ſolum igneris
 eſſe, ſed etiam communiffimis exemplis *ſoleat*. Rectiffimè



vero illi omninò sentiunt, dummodo aliquid amplius quam sententiam sermonibus agitare vere cordi haberent, qui rem hanc, dico veram atque solidam etiam *Pharmacæ* Chirurgicæ peritiam, studio & opera, rationis & experientiæ sociis subsidiis, sibi acquirere contendunt. Interim sermo non hic est de eo, quod fieri potest, sed quod fieri solet. Neque quid cadat in *hominem*, sed quid in *Chirurgum*, quæ *talem*.

X.

Ubi nempe, *secundò*, longe utique notissimum est scandalum illud, ubi usitissimæ, & passim obviæ, *officinæ*, è quibus Chirurghi prodeunt, nempe *Tonstrinæ*, quid bonæ spei promittere possunt ad tradendam hujusmodi *Doctrinam* discipulis? Cum satis sæpè Magister ipse, nihil veræ atque solidæ *peritiæ* possideat; Præterea Praxin ipsam, vel ita *raram*, imprimis intuitu *varietatis* affectuum, habeat; vel eandem etiam ipse ita imprudenter atque imperitè exerceat, ut nihil boni ab ipso *discere* possit discipulus: ut ita quolibet intuitu, operabilis de reliquo omninò illa spes, verè ita in herba suffocetur atque intercidat.

XI.

Tanto minus autem, *tertiò*, ullam justam considerationem hic assequi potest illa allegatio, *longæ* atque *multæ* *Experientiæ*. Quandoquidem talis *experientia*, quæ prævia atque præside *rationis* cynosurâ destituitur, nunquam bonam frugem promittere potest, sed semper potus antiquum obtinens, passim in illas syrtes illiditur, (quas etiam *M-dici* ut caveant, alia profectò industria atque animi ipsius institutione opus est, quam quæ à trivialium scholarum commentis atque commentariis expectari possit.) ut qualescunque tandem sequentes *salutares*, ad sanitatem, exitus & eventus, absurda simplicitate *suis consiliis* & inprimis auxiliis, atq; indubiæ operationi Remediorum usurpatorum, adscribant; negligentes, aut non intelligentes, præcipuas in hujusmodi negotiis, *Naturæ spontè*
ope.

operantis, partes: Nisi quando, præter consuetam sibi, sub suis artibus, formulam, restitutione alacrius atque vegetius succedente, quasi ad miribandi enarrant, de Patient habe eis ne treffliche heilsame Haut, müsse trefflich balsamisch Geblüt haben, & similia, tanquam per nebulam ipsis occurrentia, aut per somnium succurrentia, Quo profecto intuitu etiam quantumlibet longa talium hominum *Experientia*, præjudicii hujusmodi superfructa adeo parum usus ipsis præstat, ut nihil inde certius reportent, quam in nuda illa, & nulla Ratione subnixta, cæca *Empiriâ*, firmiorem obdurationem.

XII.

Quid verò, quod si vel maxime voti illius damnari obtingeret, ut hic illic, verè prudentius peritus, unus aut alter Chirurgus, inveniretur, nihil tamen hoc detraheret *summi* & nostri negotii, nempe *Officio Medici* circa *casus chirurgicos*, quò minus Ille obstrictus veluti maneret, ad invigilandum talium rerum optimo intellectui: Idque duobus respectibus. Primò, ut *minus peritos* Chirurgos, inter quos vivere obtingere ipsi potest, omni meliore modo instruere, regere, aut temerariis illorum ausibus, cordatè, sed & solidè, obistere possit. Secundò, interest certè ipsius Medici, ut ille, quantum usquam fieri potest, optimè *Chirurgicarum* rerum, absolutâ autem necessitate *medico - chirurgicarum*, seu *Pharmaciæ Chirurgicæ*, gnarus atque peritus fieri allaboret, etiam eo intuitu, ut si cum *perito* etiam, & quàm optimo Chirurgo, concurrere occasio ferat, non ab hujus nutu pendere necesse habeat.

XIII.

Quamvis enim nihil attineat dissimulare, quod etiam passim imperiti atq; rudes, nedum aliquantò peritiores *Chirurgi*, tanquam more quodam semel recepto, *Medicis* vulgo non tam æq; vitio vertant, si illi *Chirurgicæ* parvam scientiam aut curam præ se ferant: adeo, ut etiam audaciores, vel vitio vertere atque indignari soleant Medico, si ille aliquid interloqui iplo-

ipforum consiliis & auxiliis, suscipiat: & tanquam persuasiffi-
mi passim sint, veros intercedere debere *limites*, inter *Medi-*
cam & *Chirurgicam* praxin; imò Chirurgiæ ita *privilegiatos*,
ut Medicus illos transilire nullo modo debeat; dum interim
illi parum nefas ducunt in Medicinæ ambitum irrumpere.
Tamen reverà planè contraria ratione sese habent res, imò
habere debent, ob rationes luculentas jam allegatas.

XIV.

Tertia objectio, est iterum talis, ut officinam sui pro-
dat. Ubi sunt, inquit illi etiam, qui illam circà res chirur-
gicas *peritiam* habent, ut verè *docere* valeant Chirurgum, quid
factu sit opus? Quasi vero non simplicissimæ rationi liqueret,
quod pro bonè *exercitato* atque rerum suarum gnaro Chirur-
go, *Medici* præsidio non sit opus; pro *inexercitato* autem &
magis rudi, certè *presumptio* semper stet pro Medico, quod il-
le plus possit: cum certè *debeat* legitimè, harum rerum plus
intellectu comprehendisse, quàm talis commatis Chirurgus.
Deinde verò, hoc ipsum nos hic agimus, ut Medicum *officii*
admoneamus; quòd, si quid hac in parte ipsi desit, incumbere
hoc sibi intelligat, ut illud corrigat, suppleat & expleat. Ce-
terum, quicquid autem hic illic veri fortè subesse posset, cir-
ca Medici unius aut alterius, imperitiam de chirurgicis reb9;
subest tamen adhuc ratio aliqua, quæ in *communi* inter Medi-
cum & Chirurgum *imperitia*, Chirurgum velut ordinariè &
notoriè iustæ censuræ exponit, præ Medico. Versatur au-
tem circà temerarios ausus *violentiorum* tentaminum; & qui-
dem, quod præcipuam notam nostræ admonitionis quam
maximè confirmat, non tam directe *chirurgicorum*, nempe
circà *manuales* instrumentales operationes occupatorum:
sed *pharmaceuticorum* potiùs, in varii generis *causticis*, *septicis*,
acribus & *calidis* dietis, *intempestivis* *castringentibus*, &c.
Mercurialibus, *Arsenicalibus*, *spassica* & alia *anxia* sympto-
mata, non magis circà ipsam partem affectam, quam etiam in
distant, imò in universam œconomiam corporis, inducenti-
bus,

bus, in genere vero variis modis mala corporis in deterius convertentibus. Qualium rerum protervis abusibus, rarissimi certè favent Medici, utur aliquis horum, de reliquo, ad ferendum auxilium & formandum opportunum consilium, fortè minus instructus fuerit debitâ scientiâ atque peritiâ. Ubi brevibus notari meretur, familiarissima illa circa *Praxin* Medicam & Chirurgicam offensionum diversitas; dum ibi inopiâ consilii, & ab hac expectanda *omissione* necessarii auxilii, longè rarioribus exemplis, (uti revera etiam longè rarioribus casibus, ubi ita magnopere errare proclive foret,) insigne aliquod damnum contrahitur ab *omissione* tempestivæ necessariæ Medicationis: quàm à *omissione*, *inceptarum*, *intempestivarum*, præcipuè vero *activarum*, & cum *vehementiâ* efficaciam, temerariarum, tractationum.

XV.

Manebit itaque omninò bene confirmatæ rationis suffragio, *Medicæ* potius *directioni*, quàm soli Chirurgicæ *persuasioni* & *opinionis* tralaticæ, commendanda, imò demandanda, ordinatio Medicationis *Pharmaceutico-Chirurgicæ*. Tantò magis autem, in casibus aliquantò magis *implicatis*, *refractariis*, *mali moris*, imò *periculosiss.* Aded, ut non solum humaniter monere atque dehortari Chirurgos, Medicum deceret, à temerariis circa talia subjecta ausibus: sed obstinatos, etiam idoneo loco atque tempore, modò secundum veritatem & sine alio pathetico affectu, ita coarguere, quo Superiorum feris decretis, periculosa audacia & indiscreta contumacia, refrænetur, & maturis æque, atquè benè fundatis, consiliis, locus fervetur.

XVI.

Antequàm autem *generalio*rem veluti deliberationem instruamus, quâ præcipuè ratione quàm commodissimè consuli posset, non tam ipsis *Chirurgis*, quàm veræ *Chirurgiæ Pharmaceuticæ*, est sane adhuc verbum unum & alterum proferendum, de offendiculo quodam, & obstaculo, tam à Me-

dicorum ordine, quam *Magistratum* autoritate, introducto, confirmato, adeoque tandem etiam passim penitus obfirmato. His nominibus merito notamus, institutionem & instructionem Chirurgorum *Castrensium*, die Bestallung, Anweisung, und Verschung, der Feldscheerer, mit ihren Feld-Kasten. Absit quidem à nobis, ut, quod habet proverbium, *unguem ulceri* huic adhibeamus, & gratis quasi, filiam veritatis, odium ambiamus. Illud tamen dissimulare, quod & in se satis clarè luci expositum est, & tam scientia quoque, quam conscientia potulac, ut ad animum revocetur, præterire, nec alius affectus, nec in primis metus, unquam nobis persuaserit. Facile certe quilibet agnosceret diversitatem, inter Armamentarium tale *Pharmaceutico-Chirurgicum*, & *Medicum*; einen Feld-Kasten, und eine Feld-Apotheque. Quid interim familiariter hoc in genere usu veniat, neminem etiam fugit, nisi quidem fortè omnium harum rerum incurium. Dum hinc inde, Chirurgi etiam singularum cohortium, vel centenis speciebus, etiam ad simpliciter *Medicam Pharmacia* pertinentibus, onerantur; *instructionibus* tumultuariis de efficacia & usu talium, ad hujusmodi *administrationes* animantur: & ita verè ad *Medicam Praxin* inducuntur. Quæ concessio non solùm, sed potius vera *constitutio*, in posterum nunquam amplius ipsis extorqueri potest, quo minus notum illud Brocardicum occinant, *quod semel placuit, semper placeat*: dum scilicet, vel non possunt per imprudentiam, vel non volunt, distinguere, tempus *necessitatis*, cui sæpe aliquid indulgendum sit, quod minime deceret, si maturi posset; & tempus *commoditatis*, quo, quicquid *potest* mutari, merito etiam *debet*.

XVII.

Enim verò, facile esset *rationi & intellectui*, bona hic Consilia invenire, si tam prona etiam obtingeret *voluntas*, ad illa in effectum deducenda. Chirurgorum *Castrensium manipularium* constitutio, si non caderet in famulos, nuper è tonstrina emissos; *Chirurgi chiliadum*, (*Regiments-Feldscheerer*),

ret,) si verè periti, & bono iudicio atque prudentia instructi, eligerentur, & *turmas* illos, sub sedulâ inspectione & honesto obsequio haberent, & quàm maximè juniores horum, sæpè adolescentiæ annos vix dum prætergressos: *temeritati*, nec ipsi indulgerent, nec ab istis illi locum dari, quasi connivendo, aut negligendo, tolerarent: plus *communibus*, quam *propriis*, commodis, tribuerent & invigilarent: tranquillioribus adhuc rebus pensitarent, quid in *casu*, & ingruente *necessitate*, consilia implicante, velut in numerato habere expediat: Possè ex unâ parte sperari, quod, contrariâ ratione obtinente, etiam optare supervacuum est. Rectissimè verò etiam ageretur, si simpliciter potius *postulata* ipsorum Chirurgorum, pro instruenda *cista* sua, audirentur, & *moderatione* potius peritâ, quam *accumulatione*, ad effectum promoveretur.

XVIII.

Ex alterâ vero parte, (quamvis pariter dubium, an votis adhuc pateat locus,) non certè Chirurgiæ, aut Medicinæ *campesstris* seu *militaris*, sed totius *Artis Medicæ*, quam maximè interesset, in verior aliquis conceptus, imò verior aliquis *conceptus didacticus*, tam *consensu publico* formaretur, quam *autoritate* deinde *publica* firmaretur, quid *certius*, *parabilius*, *securius*, & ab *errorum* periculo remotius, mandari & committi possit Chirurgis talibus *legionariis*, aut plane *prætorianis* (den *Stabs- Feldscherern*), quod *ustatissimis morbis castrensibus*, non solum dictis modis quadrare possit, in sua substantia: verum etiam maximoperè, de *Methodo* denique decernendâ, tanto certior aliqua cynosura inveniretur. Quandoquidem absolutæ certitudinis illud omninò est, quod *Methodus*, si non planè omnium, certè tamen plerarumque medicationum, adeo vera sit *anima*, ut sub hujus verè *artificiose* ordinatione, multis, aut variis, Medicamentis, ita parùm opus sit, ut propter eâ tantò minùs locus patere possit, ad varias, & inprimis *temerarias*, offensiones committendas. Cujus interim spei,

imò voti solius, immane antifacoma utique *duplex*, reluctatur, ex intimis *medicæ scholæ* penetralibus, nempe 1.) *Dissensus*, vix non per singula capita, de *genio & indole*, & consequenter etiam instituenda *tractatione*, tum aliorum *interiorum* affectuum, tum imprimis *Febrilium*. 2.) Huic confusio*n*i ex parte, partim tamen etiam frivola*e* credulitati, circumspecta experientia castæ, innitens Phantasia, de *immensa efficacia* rerum medicamentosarum, in *substantiam* humorum, aut *sexcentarum* illarum potentiarum salinarum & sulphurearum: quales effectus dum *materiali* contactu, & actu *mechanico*, edere posse & debere, finguntur, iustissima atq; planissima hinc resultat illa subsumtio, quod ad tales effectus, nulla magnopere *methodo* opus esse possit. Nos vero certi sumus, & commendamus etiam animadversionem cujuslibet solertiæ, quod hoc scandalum, revera solide è *Medicæ* scholâ profectum, etiam Chirurgis multiplicem occasionem ad varios temerarios ausus suppeditet; dum evidentissimum certè est, quod hi homines, ea superstitione de veritate talium persuasionum securos atque certos sese reputent, ut certe Evangelio majorem fidem habere non possint. Unde etiam certissimum est, quod communissimè, etiam in extravagantibus ausibus, nihilominùs in *bona fide* verentur: persuasi nempe omninò, quod *Remedia* talia, *Experimenta*, imò *Arcana*, non possint solùm illud, quod ab ipsis expectant, absolvere & perfectum dare, sed etiam citrà multas ambages, nempe peculiarem iustam *methodum*.

XIX.

Has tenebras discutere, esset profectò ingens operæ pretium; *desinire*, inquam, tandem, & firmiter *stare*, quibus Remediis, & quantum quidem fieri potest, (& quid non possit?) *paucis* numero, verâ fiduciâ inniti, iisque scopos necessarios exequi, & omninò assequi, Chirurgus valeat: Et quid tandem verè ita à *Medicamentis* sperare debeat Chirurgus; quid vero à *Methodo*, id est, partim *ordine* agendi, partim ipso *tempore*, iusta hujus *expectatione*, patiente *modestia*,

pe-

petendum sit: Et quousque tandem, magis solum *privativis* effectibus, per *impedimentorum* interceptionem propriam Naturæ energiam expediendo, bonus effectus impetrare potius & sperare si integrum; quàm vanis, & simul audacibus præsumtionibus, de summa *positivâ* efficacia Remediorum, temerè inflatum, ubique *urgere, onerare, turbare* Naturam, partim *ineptis*, partim activitate *aliena* adhuc amplius *nocituris*, materiis. Sed vereor, ne etiam votorum pigere nos debeat, quod *inania* vota concipientibus, jure meritoque evenit.

XX.

Quamlibet autem qualiscunque incommodus ille eventus, satis in oculos veluti incurrat, dum nimirum Chirurgi tales *Cæsenses*, & imprimis legionarii, *jus questum* prætexunt; dum publicâ autoritate, non manualement solum, & *medicam* Chirurgiam, sed omnino *Medicinam* ipsam, in totarum *Chiliadum* salutem, exercere idonei declarati, & hæc officia omninò demandata ipsis, fuerint; A quo vero tempore, non potuerint illud, quo se Magistratibus tum temporis probaverint, didicisse; sed potius, locupletiore experientiâ, confirmati magis hucusque atque illustrati potius sint, &c. Habet tamen omnino prudens harum rerum æstimatio justam atque solidam exceptionem in eo, quod 1.) illis, qui verè solidam *peritiam* allegare possunt, eamque etiam usu ipso hucusque probatam dederunt, hoc in genere nulla quidem quæstio status moveatur, circa *communes* affectus, quales *inter arma* evenire possunt, *Vulnera* recentia, *Contusiones*, *Suppuraciones*, *Fracturas*, imò & *Ulcerationes* simpliciores, *Amblystia*, *Luxationes*, & *subluxatorias distorsiones*, & super talibus rebus coorientes *Tumores* merè magis externos, &c. Interim circa illos casus, qui magis ab *internis* causis, vel nati, vel proximè sustentati, intelliguntur, & in *militaribus* occasionibus, provenire non facilè solent aut possunt, & partim indigent *Pharmacio* Chirurgica, partim vero non indigent, imò vero

non ferunt illam: utroque vero modo, peculiarem *circumspeditionem* atque *cautionem*, & *methodum* maximè peritam, postulant: qualia sunt *Ulceracaacoethica*, *Tumoresphlegmonodes contumaces*, *Scirrbi sanguinei*, imprimis autem in partes *glandulosas* innidulati, *Erysipelata*, ab *interna* quadam *apostasi* extrorsum *protrusa*, & ex his rebus nascentia *cancrofa*, *phagedaenica*, *cavernosa*, tandem *sphacelosa*, *Ulceraca*, cum *spasticis doloribus*, *congestionibus* vulgo dicto *affluxu* humorum, cum *cacochymia* subiecti singulari, *prægressis* proximè *morbis* quibusdam; eorumque insufficiente *percuratione*: *Fœminis menstruarum* evacuationum vitia *perpeffis*, *Viris hæmorrhoidariis*, aut ad alia *pathemata propendentibus*; *ex aliis*, etiam *ulcerosis*, aut alio quocunque modo *p. n. evacuationibus*, diu tamen *adsueris*, tandem in hujusmodi *consecutiones* prolabantibus: Nedum quibuslibet *œdematosis* tumoribus, *antiquis* ulceribus, non solum *longo*, sed etiam *longè profecto*, *affluxu* sustentatis, *doloribus*, *tumoribus*, *ardoribus*, *rheumaticis* & *arthriticis*: *ulcerosis* emersionibus, à *cacochymia* velut *ejectis*, *secedentibus*, & *procedentibus*: in *tenerarum* partium, & facile in *irreparabilia* damna prolabantium partium, *Oculorum*, tractatione suscipienda; horum, *Aurium*, *Dentium*, *pathematibus consensualibus*, *rheumatico hemigranicis*: *Luis venereæ* curationibus, tam per *methodos sudorificas*, quam per *salivationem*, in subiectis *tenerioribus*, imprimis *sexus feminini*, nedum plane *gravidis*; aut *tenerioris ætatis* subiectis; &c. In talibus, inquam, casibus, tanquam *pristinæ* illorum *commiffioni* minimè *probabiliter* subiacentibus, adeoque neque *demandatis* neque *concreditur*, non habere, quod ad illam *provocent*, in *propatulo* est.

XXI.

Quod autem penitus, Medicationes *directè pharmaceuticas* concernit, cum notissima sit ratio *committendi*, 1.) quod *necessitas* quædam *civilis*, *Medici castrensis stipendiariam institutionem* impediatur: 2.) etiam *morbi castrenses*, qui *internam*,

nam, *pharmaceuticam* curam postulant, non ita absolutæ sint *certitudinis*, quia melior spes illos etiam *non eventuros* esse, locum obtineat, adeoque commissio ut *in eventum*, ad absolutum *mandatum*, transferri, *positivè*, non possit: 3) Morbi etiam illi, qui propriè ut *in castris* cooriri possunt atque solent, *pauca* potius sint, & *certi*, quam multifarii, nedum promiscuè *omnes*: 4) etiam conditio *subjectorum* ipsis conceditorum, de *rusticâ*, & alia *laboriosâ*, & *adsuetudine* induratâ, *plebe*, & certè *in morbis*, nullis *diætæ* erroribus, luxuriosis, aut immo- rigeris, exposita: & si verum æstimare velis, etiam non tanti æstimata, dum velut ad eventum & aleam *fatorum* emta atque destinata censetur: quod in Politia & civili conversatione conficitur, nusquam pariter applicari potest aut debet: quin etiam 5) *quorum* talium morborum experientiam nacti sunt, & illam etiam postea, adhuc in aliis subjectis rectè procedentem ostendere possunt: inprimis autem nihil *inconsiderantia* aut *temeritati* in methodis illis suis indulgisse observantur; circa talia affectuum *genera*, posset ipsis eosque indulgeri, si *moderationi* insistant, & etiam ultra, omnem justam reprehensionem evitent: 6.) Ubi tamen etiam *ordinariorum* Medicorum, Praxi, *publica* autoritate præfectorum, adest copia, ibi Chirugos hos, antiquam suam *commissionem* tam parum prætexere posse, vel ipsis iudicibus, notum est, quam si quisquam alius, qui alibi officium aliquod exercuit, eique omnino rectè par est atque sufficit, propterea hoc ipsum etiam *ubique* exercere & velut arripere vellet, in præjudicium non solum illorum, qui jam ibi ad hunc actum constituti sunt, sed quàm maxime eorum, qui hos constituerunt. Unde certè, quantumcunque etiam habiles, nisi *Privilegio* seu concessione *expressâ*, jùs hoc ipsis pro certo districtu iterum collatum atque tributum sit, vel nullam habebunt, vel à conniventium arbitrio pendentem, *precariam* libertatem,

Unde quidem talia merita sua allegantes, harum rerum commonefacere, & elenchticè quidem, nempe cautionis nomine, convenit; ut tam ab usu minùs liberali & modesto, quam à methodorum *semerariarum* ausu, & *contraventionis* in hoc genere exemplis, abstineant; aut alioquin in ordinem se cogi, & debere, commeminerint.

XXIII.

Quamlibet autem reliqui *triviales* Chirurghi, & ipsi *turmalium* solum *castrensium* officio functi, non promiscuè omnes deterioris conditionis haberi mereantur; quin etiam inter illos, tam *ingenio* bono, *industriaque* & *solertia*, quam itineribus, *consortio* peritorum magistrorum & ipso solertiore longo usu, destinationibus suis satis pares inveniantur. Interim, uti bono jure univèrsùm hoc, quicquid *Chirurgo* etiam optimè perito, tamen *ut Chirurgo*, competit, minime extendi potest ultra ea, quæ proximo §o determinavimus; adeoque intra hos limites sese continere, omnino boni atque periti Chirurghi, certissime debeant: tantò minus vel hoc idem, nedum quicquam *amplius*, indulgere jus fasque erit talibus, de quorum sufficiente experientia, & quam maxime *circumspecta* solertia, vel nihil dum, vel *contrarium* plane, innotuerit atque constet: sed qui potiùs exempla præbeant antiq̃æ illius notæ, quod *imperitia temeritatem* pariat.

XXIV.

Sicut autem Medicorum hic interponenda autoritas, imprimis apud verè *arrogantes* atque *temerarios* Chirurgiæ usurpatores, parum propemodum aditùs invenit; imò ne vix quidem, si etiam Medicus publico *Poliavri* munere, Chirurgus etiam, expressis verbis veluti, *præfectus* sit; meminerit propterea Medicus, ne utique totus conatus in irritum, imò in pudendas illas mutuas *alterationes*, exeat, ut potiùs primò moderatiùs Chirurgum, meritò *suspectum*, aut manifestus dehortatione ejusmodi dignum, commonefaciat, eique ab-

abſtinentiam ab inconvenientibus, & ipſum non decentibus, auſibus inculcet, & quoad ejus fieri poteſt ipſi perſuadeat. Sin autem, inprimis palam & *protervè*, *temeritati* inſiſtat, denunciet mature Medicus univerſam rem ordinario Magiſtrato, ejuſque deſuper officium imploret. Quod ipſum, ſi debite cum modeſtiâ fecerit: imò, ubi oblivio, aut aliquid ſimile, interveniens, effectum optatum interverterit licet cum eadem modeſtiâ, tamen cum ſeriâ etiam allegatione, laborantis ſub hoc negotio, ex demandato ſibi officio, conſcientiâ, inſiſtat, ut memoria factâ à ſe petitionis refricetur, atque ita tota res tandem effectum ſperatum fortiatur. Sin minus, obteſtetur, ut publicis monumentis, hæc ipſius *ex officio* adhibita induſtria, in futuram ſui excuſationem, inferatur.

XXXV.

Cum autem notius jam ſit in vulgus, quàm ut diſſimulatio palliari poſſit, opprobrium illud, paſſim etiam ad pro pudioſam veluti impudentiam exorbitans, ut *Medici* inter ſe *mutuò*, & cum *Chirurgis*, contumelioſas *altercationes*, & *calumnioſas* imputationes, reciprocè exercean; non ſine graviffima ſuſpitione, *odii* potius, *invidia*, & *proprii* commodi *aviditatis*, animum impellentium, quam veritatis illo veluti reſpectu: quæ res proinde etiam paſſim, juſtas tandem etiam querelas, ut à levioꝛe autorum fide, tantò facilius negligi efficit: Præterquam quod etiam revera *conſcientiam* excutere, deceat omnino & conveniat, ne quid in hujusmodi caſibus malè fundatæ *ſuſpicioni*, aut nugaci *debatiori*, ita tribuatur, ut injuriâ, Chirurgus, aut quicumque alius, inde ita certè graveſtur, ut & fama ejus, & conſequenter patientium fiducia in illum, adeoque tandem vitam ſuam honeſtè ſuſtentandi ratio, inde in diſerimen adducatur, non conſentiente interim ipſa *veritate*. Cui rei ut rectè conſulat Medicus, caveat 1.) veluti *captare* quaſlibet occaſiones, inprimis *levioꝛes*; aut, 2.) quia *gravia* ſemper expectare, nec ipſum ſecurum aut conſultum eſſe, incipiat propterea maxime à talibus, *gradus* admonitionis

D

nis

nīs exercere ergā ipsū Chirurģum; & agat etiā hoc, ea modestiā & humanitate, quō Chirurģus sentire atque persuadere sibi ipsi possit, quod nullum aliud subsit propositum, nisi & patientium salutē, & conscientiā, & sui ipsius integrā famā, tempestivē prospicienti atque consulendi. Quā certe rem cuiuslibet prudentiā equidem relinquendam, sed etiā certe commendandā, omninō arbitramur.

XXVI.

Quemadmodum autem Medicationes *purē Pharmaceuticas*, ad morbos, Chirurgiā plane non respicientes, suscipere, Chirurgo, in civitate posthāc viventi, (si vel maxime in *castris* per jam supra notatas causas atque circumstantias, ad id temporis, non *permissum* solum, sed planē etiā *commissum* ipsi fuerit, ad suppositos in primis certos casus,) nullo jure aut prætēxtu competere potest; Ita neque competit tamen etiā eidem, quasi *purē chirurgicas* operationes, tamen in casibus *Medicinā* strictē dictā *Pharmaceutico-Therapeuticā* concernentibus, temerē suscipere atque exercere, nisi de *consilio*, imō potius *expressa postulatione*, Medici. Loquor autem de *Venefectione*, quomodocunque tandem *ægris*, in primis tamen *acutā* aliqua invasionē correptis, adhibendā. Cum enim per ejusmodi coeptum etiā in genere, nedum autem per intempestivum insuper ejusdem usum, facilē ingens periculum, imō potius nimio certius damnum, hujusmodi *ægris* conciliari possit, erit certē tantō magis justum atque æquum, imō potius necessarium, præcavere, ne Chirurgi, propter exiguum lucellum, vere mercenarium, patientes temerē in discrimen adducant, imō plane in verum, quin vel summum, damnum conjiciant. Unde quidem in primis in morbis *acutis*, *publice grassari* incipientibus, *Medici*, ab officio & autoritate ipsius *Magistratus*, omni jure hoc expetere possunt, ut publico decreto, ab hujusmodi actu, *sine Medici jussu* suscipiendo, Chirurgis interdicatur.

XXVII

Cum autem illi, qui Medicæ *Pharmacie* jam audaciùs manus injiciunt, inprimis *intemperantiora* quælibet, & vehementer agentia Remedia ament; *Vomitiva*, *Purgantia*, *Mercurialia* salivatoria, *acriora Diaphoretica*, non solum Medicamenta, sed etiam insuper *Regimina* sudorifera; & talia, ut sine intellectu, ita etiam sine consideratione decente, diversitatis *personarum*, earumque *virium* tam in genere, quam præsentium in specie, injungere sueverint; Habet propterea certè Medicus, quod hic justis animadversionibus atque præcautionibus, notet, & serè ab hujusmodi coeptis revocandos, aut secus coërcendos, iis, quibus jus fasque est, indicet atque commendet.

XXVIII.

Sicut autem jam supra quoque, non æque paucissimam protulimus, de illis casibus, nominatim, quos Chirurgum solum, sine Medici consilio, in se suscipere non deceat; & rationes etiam adjecimus, nempe, quod in illis plus invigilandum sit humorum dyserasia, non tam æque semper *universim*, per totam sui massam, quàm etiam *privatim*, intra ipsum locum, ubi stagnant aut hærent, corrigendæ: Id quod non per Chirurgiam, sed simpliciter *Pharmaciam*, fieri debet: Ita placet hoc ipsum adhuc semel perconsulere, & aliqua, quæ nominatim Chirurgis non simpliciter hic competant, notare. Sunt autem hujusmodi affectus, *Cancer*, tam *occutus*, quam *ulceratus*. Cum enim *occutus*, medicamentorum applicatione longe faciliùs, quam spontè sua, in duplex insigne incommodum, imò certius damnum, adducatur, nempe 1.) incrementum seu *augmentum* insigne; 2.) ipsum actum ulterioris intimioris *corruptionis*: quorum utrumque, & inprimis quidem posterius, ita comparatum est, ut, usitatis mediis atque methodis, longè certius eveniat, quam non eveniat, adeoque tanò magis necessaria utique sit cautio, ne intempestiva hujusmodi tentamina, illud, quod ita veluti communissimè perpetrant,

erant, etiam reverà in effectum deducant; interdendum hinc merito est Chirurgis, à temerario eorundem usu. Jam verò, cum Chirugi, (& velit Deus, ne etiam aliqui Practici Medici paria agant!) potius omnem occasionem prompta sua officia offerendi, nempe aliquid à-paciente collucrandi, captare soleant; cujus totum contrarium ipsis præferbit, certa illa, non tam ambiguitas, quam potius ruina in deterius, & frivola talium affectuum irritatione, si veram atque solidam scientiam, & huic innitentem conscientiam, præ oculis habere vellent: certè, quicquid hic libera voluntas negligit, id monitis, imò si necesse sit feriis interdictis, ut servare meminerit, adigenda est.

XXIX.

Quemadmodum autem principiis obviare, & occasiones malorum evitare, subinde & factu facilius est, & omnibus modis exoptabilis, quam enato jam malo atque damno, remedium demum parare; ipsæ vero etiam recentiores adhuc ejusmodi *coacervationes*, v. g. *cruentæ*, circa *glandulosa* præsertim loca, & nominatim *mammæ* muliebres, vel in ulcera magis magisque *cacoëthea* propendent; vel, cum adstrictione aliqua seu *repulsione*, discussioni dicatorum pharmacorum interventu; in *scirrhos* ejusmodi obfirmantur, adhuc pejorum morum ulcera semper parturientes; Expediit propterea reverà, ut etiam hujusmodi primò oborientes demum stases, proprio ausu aggredi Chirurgus minime in se suscipiat. Id quod tantò magis iustum est, ut, inquam, ab hujusmodi affectibus; ita simpliciter per externa tentamina tractandis, Chirurgus tantò curiosus abstineat, quanto ab intrà *extrorsum congestio* illa procedit; utpote quo in casu certissimè longè profundius *introrsum*, exilibus vasculis impactum herens *coagulum*, aut *grumi* sanguinis, quando jam *corruptio* inducitur, velut incoercibili progressui ad *intima*, veram portam aperiunt. Unde occasiones tales exacerbationis per minus consultos ausus; tantò solertius vitari debent.

XXX.

Minimè autem etiam minore ad eò cautione opus est, tum in simplicioribus *Erysipelaceis* inflammationibus, juxta vulgus Chirurgorum, jam per Emplastica, jam per *Epithemas*, imò *Cataplasmata*, tentandis: tum tanto magis in *phlegmonodes* talibus: qualia vix non perpetuo sunt illa, quæ simplicius pariter *abitura*, ortum sui & progressum duxerunt, præsertim cum insigni *commotione totius, horroris & caloris* paroxysmo: nedum quando, cum adhuc majore tumore & infarctu profundiorum partium, malæ cujusdam *chronicæ* modo, post acriores *febres Rheumatico-inflammatorias*, repentino quodam *impetu*, in artum aliquem fiunt. Cum enim hujusmodi decubitus, in primis adhuc recentes, inconditis externis pharmaciis, satis facile iterum ad *interiora compellantur*, à quo eventu etiam *morris* periculum cooriri potest: Habet certè propterea tanto minus locum, temeraria aliqua, neque circumspecta, nec in genere bene fundata, tales affectus agrediendi audacia.

XXXI.

Quid, quod etiam Ulcerationes *ichorose*, tum *cutis ipsius*, tum *substratarum partium membranoso-sindiosarum*, aliquam portionem afficientes, ambitum, aliquando satis late circum, licet non *erysipelaceum*, tamen nulli rei magis affimilandum, aut profundius tumentem, *phlegmonodem*, formantes & foventes, (ubi in *primo casu*, cutis circumcirca leviter *turgida*, & abolitis omnibus rugis aut lineis, *virida, roseo* colore conspicua, cutieulam ita molissimam tenet, ut levi scalptione rumpatur, & inde spongiosa illa cutis substantia, non solum statim acrem humiditatem ploret, sed etiam citò novum ulcusculum efformet; licet etiam spontè exiguas postillas purulentas concipiat, quæ deinde ruptæ statim *ichorosam* talem saniem concipiunt: *posterior* vero constitutio, profundiorum intumescentiam duram, cum variante sensu ardentis caloris, formans, sustentat interim perpetuam largiorem

ichorosam manationem totius ulceris.) Cujusmodi in anteriore parte *tibiarum*, aut juxta *articulationes*, à præviis *Contusionibus*, subnascuntur: Tales, inquam, usitatissimis Chirurgicis formulis vexatæ, obfirmantur ad minimum eò usque, ut etiam per plures annos durantem eandem constitutionem *perpetuæ manationis*, inexcitabilis ulcerosæ *respullulationis*, aut si imperu aliquo coërceantur, graviorum intimiorum nocumentorum, *ossa* ipsa aggredientium, eventum fortiantur. Aut, inprimis *phlegmonodea* illa, latius latiusque sese extendant, & ulcerationes antea simplices, *sinuosas* atque *cavernosas* efficiant, succedentibus hinc inde novis foraminibus, pluribus, aut ad minimum in prægressorum locum aliis cum ossium tandem carie. Hujusmodi Ulcerationes, quæ, quantum ad Chirurgicam *Pharmaciam* attinet, inprimis adhuc recentiores, aliquot nummorum, aut ad summum denariorum impensa, & satis exiguo tempore, corrigi possunt; communiter usitatis autem Chirurgorum formulis, veluti communissime in deterius deducuntur: certè propter hoc ipsum, talium imperitiæ relinqui minime debent. Judicari autem hæc potest, tanquam lapide lydio, ex eo, si ad summum trium septimanarum spatium, non sensibilissime atque constanter quidem ita in melius conversa sit *posterior*, aut sanata *prior*, constitutio, ut ocularis inspectio, præter euphoriam sensilem patientis, judex esse possit. Sin autem stolidi illa phantasia, quod refractaria *manationum* talium indoles, jam *scorbatica*, jam *falsa*, (es sey so ein gefaltsener Stuß dazu geschlagen, fabulantur,) jam *acrioribus*, jam *subadstringentibus*, aut ut illi volunt *desiccantibus* Emplasticis, (*Dörrbänder*,) jam *Mercurialibus*, exagitant, *inflammantur* Ulcerationes ipsæ magis, augetur *affluxus* atque *tumor*, erumpunt pluribus *foraminibus*, jam *cavernose* coherentes, jam sigillares plures, ulcerationes, seu foramina, fallen Löcher hinein, narrant. Verbo, quanto plus illi audent, tanto pejus evenit Ulceri. Tales, à talibus abarrendi sunt, ut non solum *sumtibus*, per ipsos sumtus *augendis*,
con-

confular; sed etiam damnorum novæ introductiones, & patientium magis magisque difficilior salvatio, ita maturè vindicentur: priusquam *issa* simul carie affici contingat; & novæ gloriationi horum magistrorum materia eveniat, sic haben schon so und so viel Weisheit heraus bekommen: pessumdata prope modum in perpetuum, inprimis circà juncturas, omni spe, per quamlibet artem sanandi patientis.

XXXII.

Tumoribus *Glandularum*, quasi *strumosis*, *infra aures* æque, atque ipsis *strumis*, *promiscua* Chirurgorum tentamina admittere, non solum quotidiana experientia detestabile reddit; sed vetat etiam peritorum Practicorum, cum omni circumspeditione atque cautione instituta, & tamen effectu passim destituta, tractatio: Dico per *Externa* seu *Chirurgico-Pharmaceutica*, Remedia. Si quis autem *peculiare* aliquod Experimentum polliceatur, ejusque *specimina*, jam à se *præstita*, sistere possit; aut ad minimum, patientes, quod satis sæpè usu venit, spontè sua illi se submittant: Non debet talis à prosecutione suæ artis arceri; sed sufficit admonere, ne plus in se recipiat, non solum quam ipse præstare, sed etiam patiens sine damno tolerare, possit. Siquidem eximie utique illud, non solum in *Chirurgia*, sed ipsa omninò *Medica* etiam Praxi, observandum venit, sed & cavendum, quod oppido rara sint ejus generis *tentamina experimentalia*, qualia vulgò decantantur, *hiffis nicht, so schadt es nicht*: Cum nimidò familiarius atque certius sit, ut, si non juvent, aliquid *damni* incutiant. Quando vero semel iterumque ausus talis artificis, non tam solum *in cassum*, sed etiam in aliquod sensibile *incommodum* patientium, exire observantur, non æquum solum, sed certè justum est, & Reipublicæ interest, ut ejusmodi ausibus ipsis interdicator.

XXXIII.

Ita etiam circà *fungosa* illas *Excrescentias*, intrà *articulationes* graviter contusas, & cum contusione *luxatas*, pullulan;

stantes, *Elled Schwämme*, quibuslibet opinabilibus tentaminibus indulgere, quorum nullam certam *experientiam* docere possint, nequaquam liberè permittendum ipsis est Chirurgis. Circa omnes autem etiam *fungosas*, *membranaceo-ligamentosarum*, aut *glandulosarum*, partium excrescentias & *tubera*; *Pharmaceutica* Chirurgiæ, per quantumcunque *Corrosiva*, *Cathartica*, aut *Metallica Septica*, non temerè laxandæ, nedum detrahendæ, sunt habendæ. Sicut etiam vel in *carnosis luxuriantibus* Excrescentiis, diligenter monendi veniunt, ne vel *acrioribus Catharticis*, totum affectum exacerbent; vel dum his student, *equalem mundificationem* totius superficiei ulceris negligendo, nihil certius, quam absumptæ portiois *repullationem* experiantur; aut, firmiteribus *Compressionibus*, totam partem affectam *suffocent*: aut contrà, diutius neglecta *exstirpatione*, graviores posthac *hemorrhagias* expectare habeant: quibus ut consulant, iterum toti affectui præjudicia objicere cogantur.

XXXIV.

Ab *Oedematosis* autem Tumoribus, in solidum abstinere manus convenit; tam *Pharmacis*, quam *Chirurgia* tentanda. Nempe *Scarificationibus profundis*, *Unguibus ad vivum* resectione, & similibus consiliis, ad emittendam aquositatem: *Das Wasser abzupffen*, inquirunt. Ita etiam à *Paracentesi*, proprio consilio & ausu instituenta, continent manus. Ab *hemorrhoidalibus fistulis*, sine Medicationum *previa & sociâ* opere, ut & à *vagine*, aut ipsius *uteri*, *carcinomatibus*, per acres injectiones tractandis, prohibeantur.

XXXV.

Oculorum, atque *Aurium internarum*, vitia, Chirurgis, *promiscuè*, ne quidem ad *manuales* operationes permittenda sunt; minime omnium autem ad *Pharmaceuticas* medicationes. Siquidem etiam de reliquo satis periti, non solum bono *judicio* hic opus habent; sed etiam illa *cautione*, quæ multis quoque talibus non satis animo insidet, ut ab *acrioribus* temerè

rè

rè usurpandis, aut *continuandis*, quorum noxas non interci-
pere aut emendare intelligant, sibi temperent. Nedum, ut
planè aduersus *Suffusiones*, infra ipsam *unicam corneam*, (quod
sæpe usu venire vidimus,) in *superficiem* oculi, tanquam ad
pannum aut *unguem*, pharmaca adhibere, ipsis liberum relin-
quatur. Quales autem aberrationes, vix non ordinariè, com-
mittantur, in ita dicta *Fistula lachrymali*, *purulentam* pau-
cam sanie, (per *punctum lachrymale*) per vices exhibente,
dum Medicamenta in *canthum oculi* inferciuntur, & ita *glan-
dula* demum *violatur* & ad *manationes* deducitur, Program-
mate jam pridem indicavit D. D. Præses.

XXXVI.

Ad frivolas *Dentium* Evulsiones, nisi patientes id ipsum
flagitent *suo periculo*, jus nullum habent Chirurghi. Non autem
exquisite quoque exercitati, temerarium tentamen s. f.
cipere, quo deinde vel *maxillam* concerpant, vel *dentem* i-
psum ita effringant, ut *radices* porrò auferri non possint, me-
ritò etiam non admitti deberent; sed potius peritiæ suæ *certi-
or*, ubi suppetit, advocari. Quid verò, quod ne quidem *Pe-
dum Clavis*, sine admonitione *circumspectionis* debita, inci-
dendis, omnes promiscuè admitti mererentur, &c.

XXXVII.

Ut multa brevibus complectamur, ubi tam plus *Pharma-
ciâ*, quam *manuali* operatione, peragendum venit; quam ec-
iam *periculose* subsunt circumstantiæ, & metuendæ *consecuti-
ones*, *manualium* operationum, ibi aliquid tale agendum te-
merè decernere; *proprio* nudo consilio & ausu, Chirurgis per-
mittendum non est, nedum operationem ipsam ut ipsi soli ad-
ministrarent, tolerandum. Ad quem imprimis *posteriorem* sco-
pum, tam ipsorum communibus *legibus*, & *sodalitatis* constitu-
tionibus, consonum est, quam vigilantiorum *Magistrarum*
adhuc specialioribus talium confirmationibus edictalibus con-
sentaneum, ut ad minimum non *unus solus* tale aliquid in se
recipiat administrare, sed potius unum, aut plures, de illius
E loci

loci *societate*, secum advocet, ut de *communi* consilio, vel ipso etiam subsidio, negotium absolvatur.

XXXVIII.

Ubi antè omnia illud observandum, & , quoad ejus fieri potest, in ipsum effectum deducendum est, ut antè *operationes* exercendas, ille qui ita adjungitur, *plenum* suum *consensum*, aut, quicquid *monendum* ipsi succurrit, disertè eloquatur. Si *dubium* aliquod tale inciderit, de quo bona fide inter se *consensire* non possint, alius adhuc, aut alii, ejusdem artis compotes, adhibeantur consultationi: Imò verò Medicus desuper consulatur. Ut ita calumniæ omni, à post facto intendendæ, occasio præripiatur: quam, si ille spargere audeat, qui non *dissentit*, & ita *seriò* quidem, ut etiam, si sua sententia rejecta fuit, planè quoque *præsens* esse rei gerendæ detrectet, pœnam calumniæ subeat.

XXXIX.

De reliquo verò, nec illa etiam inconsulta est via, quæ alicubi apud *Magistratus* observatur, ut Chirurgus, quando patiens ipsi occurrit, cujus curam in se recipere & rogatur, & detrectare non vult, interim de *incipiti* eventu, habere putat, quod bono jure metuat, ut *Magistratui* rem *denunciet*. Ea sine dubio intentione, ut vel ipse *Magistratus*, de adornanda plurium & idoneorum *sociâ* consultatione, patientes eorumve assistentes cognatos, quin ipsum Chirurgum, ulterius commonefaciat: aut, ad minimum, tanto magis seriam atque sollicitam operam impendendam, eidem commendet. Et optandum omninò est, ut in primis *inferiores* *Magistratus*, hujus instituti satis memores se gerant, & Chirurgos quoque ad observantiam justam obsequentes habere, cordi habeant. Ad quem effectum etiam *Medicus* cordatus, in primis ubi *imperitiorum* aliquum Chirurorum, *audaciorum* tamen simul, ut sapè fit, novit, tantò magis *Magistratum*, oblati occasione, modestè moneat, ne tam salutare institutum Praxi cassum maneat.

Aliquid autem meritò dicendum venit de imputatione illa vulgo usitatissimâ, quod Chirurghi *dolo* è *morari* & sustinere soleant, commissos sibi affectus, eorumque sanationem *differre*. Equidem verè hanc *malitiam* in aliquem Chirur- gum cadere, nisi vulgò etiam perditorum esset morum, & no- tæ improbitatis, nunquàm potuimus animum inducere, ut crederemus. Si verò *doli* suspicio seponatur, per *imperitiam* atque *inscitiam* rem ipsam haud ita rarò evenire, Praxis quoti- dianâ satis confirmat. Vix tamen planior est ad hujusmodi effectus via, quam si multum Chirurgus tribuat *Cathæreticis*; quibus non verè alienam & *luxuriantem* aliquam portionem, sed ipsius partis affectæ *substantiam*, aggrediatur: aut partem affectam, sub usu *Cathæreticorum* ad portionem aliquam meri- tò auferendam, non *premunire* satis allaboret: vel etiam satis maturè, & *repetitis* vicibus, *inspiciendo* prospicere, ne Ca- thæreticum profundius quam deceat grassando, ipsam partem sanam ita violet. Ubi etiam temerarius usus *Mercurii præpa- ratorum corrosivorum*, antè omnia *sublimati communis*, mul- torum hujusmodi etiam latius sese diffundentium malorum successuum autor observatur. Unde quidem non planè ne- gligendæ sunt patientium querelæ, quando expressè in eum sensum formantur: Der Schade seye viel Tage lang nicht nur ruhig, sondern auch, dem Augenschein nach, gar hübsch, rein, und ohne merckliche Zufälle, gewesen; der Barbier aber habe wieder etwas daran gebeitzet, oder etwas scharffes dazu gebrauchet, (ha- be es scharf verbunden, nugantur ipsi tonfores,) davon haben sie wieder grausamen Schmerzen und Angst, das Glied habe sich entzündet, Schwellst bekommen, der Schade werde aufs neu schlimmer, können es so nicht ausstehen, werden doch noch um das Glied, oder dessen Gebrauch kommen &c. quod reverà sæpe cum lachrymis queritantes audiuntur. Talibus in casibus, si pati- entes alterius etiam Chirurghi sententiam audire contendant, non denegare hoc ipsis potest talis operator; liberum tamen i-

ppermanet, provocare ad *Medicum*, *peritum*, aut si se temerè gravari ab *uno* reputet *Chirurgus*, ad *alios*, aut totam *societatem*. Interim certum omninò & ratum esse debet, quod *Chirurgus*, *Catharticis* utens, quæ vel sua *energia*, vel loci affecti indole, *dolores* insignes, *ardores*, *inflammationes*, *intumescencias*, post se trahunt, omninò teneatur, *Medico*, aut *societati* suæ, aut *patienti*, coram idoneo aliquo & harum rerum perico arbitro, rationem reddere, quâ *necessitate* impellente, *Catharticis* utatur: & *qualitus*, & cur inprimis *fortioribus* potius, quam temperatioribus. Quâ etiam non solum audaciâ, sed subinde libidine quoque, talibus insistendi, omni jure ipsi, ut *in posterum*, interdici potest, & *consumacia* adhuc subsequens, etiam serio coerceri. Siquidem hæc certissima omninò est methodus, ad *dolose* quoque exasperandum aliquod malum, & curam non solum *protrahendam*, sed tandem etiam plenam sanitatem penitus labefactandam.

XLI.

Enim vero rectissimè utique consuleretur patientium saluti, si *stabili Constitutione* sanciretur, ne in affectibus *tendinosarum*, *glandulosarum*, *vasculosarum*, inprimis *arteriarum*, *ligamentosarum*, *nervearum*, partium aut portionum læsionibus, *unus* *Chirurgus*, sine alterius consilio & opera *sociâ*, tractationem in se recipiat. Præterea etiam insignes *Luxationes*, antè omnia verò *ossis femoris*, nunquam sine *sociâ* ope aggrediatur; nisi forte longior absentia impediatur, dum interim *Luxatio tumore* gravius obsideri potest. Neque vero etiam *duplicium* ossium, ut in *cubito* & *tibia*, *Fracturæ*, indignæ sunt, propter quas *Chirurgus*, non jam *repetito* usu similium casuum peritiâ instructus, alterius, sed ipsius quoque *non imperiti*, *sociam* opem sibi advocet. Ante omnia vero *Cranii* ossium violationes, neque sine *Chirurgi socii*, & *periti* quidem, concursu, neque sine *Medici* auxilio, *interno*, *Pharmaceutico*, temere à *Chirurgis* tractari debent; inprimis cum notissi-

ma sit reciproca *conspiratio*, inter *caput* violatum, & *ventriculum* atque *primas vias*, &c.

XLII.

Ne verò ad *singularia* nimium operosè ulterius excurramus, esset omninò optandum, ut cum omni *diligentia*, sed & simul cum debito *candore*, & inprimis periclitantium patientium *amore*, seposita *emulatione*, *simultate*, *invidia*, *superbia*, debitâ observantiâ exerceretur Constitutio illa, aut in hunc sensum propriè ampliaretur, nempè, ut Chirurgus, tanto magis *junior*, si totus aliquis affectus, aut fontica aliqua symptomata, ipsi obviant, cujus generis vel plane nullum adhuc *sub proprio suo consilio & opera* habuerit, aut feliciter *resisterit*, teneretur *seniorem* aliquem, aut notoria *dexteritate* atque *peritia* instructum quemcunque, in *adjuvorem*, aut ad minimum *consultorem*, adificere, circa *directè* Chirurgicos affectus: Circa *Pharmaceutico-Chirurgicos* autem, sine consilio & consensu *periti* Medici, nihil audere. Quæ quidem posterior res, de solida ratione *juris*, etiam in illum sensum intelligenda venit, ut circa *Pharmaceuticam* Chirurgiam, in *dubiis* casibus, unus Chirurgus simpliciter, alterius Chirurgi consilio acquiescere, non temerè debeat: sed potius Medici *periti* sententiam exquirere, si ille ad manus esse possit.

XLIII.

Nequaquam autem silentio præterire licet, sed potius tanquam specimen, hætenus circa *Pharmaciam* Chirurgis non permittendam, notare atque taxare convenit, licentiam illam, quam sibi sumunt vulgò, circa administrationem *Sili-vatorie* curæ. Ubi non solum ipsum *consilium*, seu quæstio: *An agendum?* in justissimam quæstionem venit; à Chirurgo ita temerè non decernendam: sed etiam ipsa in effectum deductio, seu administratio totius negotii. Ubi quidem ad Chirurcos omninò rejicienda est, *applicatio* Unguentorum mercurialium, sed tamen etiam potius dissuadenda inunctio illa, quasi jurata huic turmæ secundum longitudinem *spine dorsæ*.

cum inunctio circa *carpum manuum*, & *tarsum* pedis, omnino sufficere possit; quæ insuper etiam ab ipso patiente, imò quocunque *mercenario*, cum nullam *artificialem* enchiridionem postulet, aut peculiarem dexteritatem,) satis commode exerceri potest. Interim tam parum ipsi Chirurgo, quam alteri cuicunque mercenario, liberum esse debet, *quantitatem* inunctionis ad nudum suum arbitrium instituire; sine *tolerantia* personarum, *magnitudinis* morbi, *virium*, factæ sufficientis *preparationis* corporis, prægressa debita ponderatione, & prudente discretione. Imò verò præscribendum potius ipsi venit, ut nihil hic, cum ullo *impetu* agitare, vel audere, suscipiant; sed semper *placide*; nempe à parvâ quantitate, incipiant: neque intra secundum aut tertium diem, *repentinis* incrementis, velut extundere, & *impetuosos* inprimis successus, machinentur. Siquidem vix aliunde, necunde sanè certius, non molestissima solum illa, sed & subinde periculosissima, symptomata, immoderatarum *inflationum faucium*, *palati*, *linguæ*, *gingivarum*, *inflammationis*, *ulcerationis* harum partium, irrumpunt; quæ omnia, & inprimis *faucium* illa damna, *moderatis* successibus *impulsus* salivatorii, certissime evitantur.

XLIV.

Minimè vero concedi Chirurgis debet, *internus* usus *Mercurialium*, sine præscitu *Medici*; qui tam de *bonitate* substantiæ, è *Preparatione Pharmaceutica*, satis securus sit: quam de *quantitate* moderatiore, & *successibus* potius, quam *simultaneis* dosibus, ordinandis atque definiendis. Ubi, sicuti prudens & peritus Medicus, à *Turpetho minerali*, *Præcipitatis* quocunque tandem colore absurde fucatis, (præter *album* fortasse, è præcipitatione ex aqua forti per sal communere resultantem,) consultissime abstinebit; contentus legitimo *Mercurio dulci*, quamvis nullum splendorem exhibente, dummodo etiam nullum usquam *saporis* vestigium offerente. Cujus moderatissimæ doses, ad 5, 6, grana, in corpus decenter præ-

prædispositum, exhibitæ, *continuacione* aliquot dierum, rectissime satisfaciunt proposito scopo; dum salivationem leniter fuscitant, & ad *progressum* etiam sufficientem deducunt: tanto magis, si per dies eò plures quotidianus illorum usq̃ continueretur, imò, pro verè perita æstimatione circumstantiarum in patiente, procedente jam rectè fluxu, planè ad unum aut alterum granum *augeatur*: Fluxus denique totus, ita sibi relinquitur, ut, donec sponte cesset, nullum *artificiale obstaculum*, aut quæcunque remora, ipsi obijciatur. ●

XLV.

Tantò magis autem, invigilare, justum penitùs & æquum est, ejusmodi audacibus tonforum quorundam cœptis, ubi *sine discrimine*, sine ullo, ne humano quidem, nedum perito, *judicio*, cujuscunque *staturæ*, *texturæ*, *virium*, *constitutionis* atque *temporum* morbi, subjectis, non solum, ut in *genere*, *parem*, sed & præcipue *rudem* atque vehementem, *Salivationis commotionem* inducentes, ad minimum alia graviora pathemata conciliant; inprimis circà *fauces*, aut, corpore non satis decenter *præparato*, etiam circà *abdomen*: inprimis quando *Corrosivis* Mercurialibus præparatis, temeritatem suam exequuntur: quin denique planè funesti exitus temere aliquando inde resultant. Qualibus profectò casibus, (quorum inprimis priores, nusquam ita rari sunt, certè tamen neque posteriorum non uberiora quam optandum esset, exempla occurrunt,) illi Chirurgo justam dicam scribere, pro re nata pœnam irrogare, ab ulterioribus autem talibus ausibus ipsi severè interdicerè, & contraventionis seriam pœnam prædicere, non justum magis & æquum, quam *omisisse* iniquum est. Quamvis autem, uti quidem non inusitatum est mihi Præsidi, in simulari fortè possem, quasi temerariis imputationibus, artificum existimationem, quam de se haberi contendunt, suspectam reddere gestirem, si dixerim, obtandum esse, ut etiam circà *Salivationis* ausus, neque *Chirurgi*, nec ipsi *Medici* titulo insignes, exorbitent: Tamen & mihi multò minus

insolitum est, hujusmodi imputationem in solidum domum remittere; prolati solum, si res postulare videretur, a pertis, non solum *vivis*, sed etiam *mortuis*, meorum assertorum *ex-emplis*. Qualium posteriorum unum, statim paratum ad manus esset, ubi *Juencula*, nulla usquam malâ valetudine, (præter anxietates quasdam & cruciatus sub mensium erupti- one,) conspicua, tenerioris texturæ atque staturæ, cum ipsi, non quidem à Medico, quamvis ille omninò una cum Chi- rurgo præstò esset, sed ab ipso Chirurgo, præbente tantum omninò assensum Medico, per tres deinceps noctes, quin- decim grana Mercurii dulcis, in singulas doses, data essent; obruta inde repentinis congestionibus atque commotioni- bus oppressoriis, & superveniente, quarto die, anxio illo e- rumpentium mensium molimine, (adeoque temerè suscepto hoc actu, sine usquam in considerationem admisso horum for- tè instantium tempore,) sub initium quintæ diei vivere desit, &c. Sed *Hannibalis cineres terra Libussa tegit*.

XLVI.

Manuducit autem nos omninò hæc ipsa odiosa veritas, et- iam ad illud designandum, atque connotandum, quod justum est, ad benè observandum, & in debitum effectum deducen- dum officium suum, ex parte ipsius Medici. Notum est illud, quod pæri inter scamna scholastica sibi invicem occinunt: *Turpe est Doctori, cum culpâ redarguit ipsum*. Et certè, tur- pe est *Doctori*, si ille quidem ab effectu videat, malè cedere Chirurgi ausus; sed si deinde ad contradictionem, (ut prope- modum audax est & impudens genus,) *imperii* Chirurgi, ne- gòtium procedat, & talis audeat probationem in forma à Medico postulare, in quo malè egerit: imò quid aliud *melius* agi po- tuisset atque debuisset, (cum certo *rectum* sit *regula curvi*,) si Medico tunc hæreat aqua, fortunæ ludibrium est, uter causam teneat. Quamvis enim verum, & certè nequam, sit *soph. fina*, disputatorium: *si ego malè lectus sum, profer tu melius*; (cum utique propterea non possit verum evadere, si quid in se fal-

falsum existit, si alter non ipsum quod verius est, sciverit: sed omnino sufficiat, si hujus falsitatem docuerit, licet ipse novam veritatem, quæ ipsa objectum esse debuerat istius propositionis, non possit ipse definire: præstat tamen non solum, sed convenit utique etiam Medico, ut ille etiam hoc ipsum didicerit, ut non solum à posteriori, quia malè exit, arguere possit operationis vitium: sed etiam à priori scire, quamobrem non potuerit benè cedere: adeoque etiam ab oppositis rationibus, quidnam ergo, & quale esse debeat, à quo melior effectus expectandus sit: aut in aliquibus casibus, quamobrem vix ab ullo remedio certum auxilium, interim à multis temerè susceptis etiam certum detrimentum expectandum veniat, exemplo *Cancris*.

XLVII.

Ne autem quidquam etiam temerè dissimuletur, quod ad propositum nostrum scopum pertineat, cum consideratio nostra occupata sit, circà *Pharmaciam* præcipuè Chirurgicam, non temerè *operatoribus* ita permittendam, ut illi hinc tanquam simpliciter in suo versantes, quidquid in mentem venit, audendi libertatem sibi sumant; imò vel plane adversus meliora monentes, vindicare sibi atque asserere, contendant; tanquam circà hæc Medicus non habeat, quod ipsos informet, nedum reformet: Potest quidem hujusmodi ineptiarum, tanquam simpliciter ad hominem, turba hæc convinci, si dicere jubeantur, quo intuitu seu quo fundamento subnixi, hanc illam *Compositionem*, inprimis *Emplasticam*, illis suis scopis destinant; aut quorum, ut vocant, *Ingredientium*, nomine, eximiam illam certam efficaciam inde securi expectent: quod dum certissime nesciunt, sed simpliciter ad *Experientiam*, aut receptam *observantiam* totius sui cœtus, provocant, potest ipsis ab hoc aditu fortè commodissimè præmonstrari, quod, quorum Remediorum non nisi *trahitiam* commendationem, nullam autem intimiorem *realis* efficaciam, cognitionem habent, qualis interim à Medico studio meritò expectetur, propterea etiam talium remediorum libera atque justa applicatio, non

F sim-

simpliciter sit illorum iudicio committenda res, sed longe verius arbitrio Medici deferenda.

XLVIII.

Non placet autem hoc loco plus, quam paucis verbis notare, propudiosam illam licentiam, quam sibi aliquando sumunt Fonfores, in manumittendis simulis suis, aut potius magistralis concessionis mimis. Ubi *Emplastrorum contentum* tanquam rem propriè ad suas manuales operationes pertinentem, etiam pro specimine à candidato suo exigentes, sæpe inquam ita stolidas formulas eidem præscribunt, ut factu sit impossibile, aliquid non insanum inde reportare. Dum interim eo ipso tentare illum præ se ferunt, numquid etiam ita proprio suo consilio subvenire valeat defectibus, quò consistentiam *emplasticam*, utpote de quâ solâ propriè sermo esse debebat, eo ipso salvari contingat. Quo ipso nempe satis declarant, magis reportandæ tandem *formule*, quam informandæ aut efformandæ, per specierum *Therapeutice* idonearum, coordinationem, totam illam suam, & quidem propriè ut suam, intentionem directam esse. Quo ipso tamen, quàm parum vero scopo, nempe *efficacia* à tali Pharmaco sperandæ, consulatur; quin potius longè verisimilius ab huiusmodi propriis magistrilibus ausibus, certior aliqua depravatio introducatur, minime injustum est suspicari.

XLIX.

Ut autem omninò rei ipsius veritati, & posteritatis, si quæ futura est, consulatur usibus, illud antè omnia, cordata, docta, atque perita, pensitatione, inò potius evolutione, demonstratione, atque decisione, opus habet, *quidnam veritatis subsit, numerosæ illi copie atque panoplie Pharmaceutico-Chirurgicæ*. Ubi videlicet tot *Unguenta*, tot *Emplastra*, tot *simplicia ipsa*, non solùm *externis*, sed passim etiam *internis*, *Vulnèrariis* & *Ulcerariis* usibus, pleno gutture, & oratorio verborum lenocinio, dicata, (licet communissime nudis *tralatitiis* commendationibus innitente: etiam ulteriore qualibet tali assertione,) revera mererentur illam etiam universalior

rem

rem *Docimasiam*, veræ *utilitatis* æque, atque qualiscunque *ne-
cessitatis*, quam toti *Materia Medica* turbæ, unus & alter Vir
certò bonus, ingenuus, atque *cordatus*, jam pridem destina-
verunt. Ut nempe tandem definiretur, quibus, in suis clas-
sibus, revera *fidere* liceat: quo tandem solidè directo, tantò
magis propter hujusmodi homines, quibus nudus *empiricus*
talius usus, non solum plane eripi non potest, sed & non ita
rarissimis exemplis atque casibus, reverà committendus atque
credendus venit; ut ibi etiam è *melioribus*, *optima*, & ex o-
ptimis *pauca*, justæ suæ autoritati assererentur, neque adeo o-
pus esset *ignotis*, nisi de sola *fama*, & ipso *numero*, ejusmodi
præparatis, non solum fovere *confusionem* credulorum ejus-
modi *Empiricorum*: sed etiam usitatis illis *Tragicis Panegyri-
cis*, scandalum demum & lapidem offensionis ipsis apponere.

L.

Speramus, neminem fore moderatiorum, qui vitio, seu
pot' us invidiæ, nobis daturus sit, quod nos, præsentè loco,
hanc operam in nos non recipiamus. Est nobis sermo de *Of-
ficio Medici*; Est nobis adeoque etiam satis, indicavisse, in quo
illud versetur; de reliquo vero *modum* illud exequendi, cujus-
vis dexteritati, equidem commendare, sed etiam relinquere:
tanto magis, cum Tractatio nostra etiam cancellos præ se ha-
beat, edendi magis speciminis, quam proprie docendi pericu-
lum faciendi: & inprimis in hac odiosissima materia, *abusus*
laudationum *Materia Medica* denotandi. Illud autem, in-
quam, omnino iterum, tam sincere, quam confidenter, as-
severamus, digniorem esse hanc materiam, quæ unanimi
consensu, studio, opera, & tandem solertissime collatis ju-
diciis, certius definiretur, & tandem quanta fieri possit au-
toritatis prærogativa, in usus publicos stabiliretur, ut huic
instituto vel mille curiositates, ad minimum tantisper, post
habere, æquissimum omnino esset: Illius autem coepti felix
in effectum deductio, omnino maxime laudi esse mereretur,
arbitris harum rerum scopo suo tandem ita feliciter potitis,

F 2

„sicuti publicis rebus generis humani, longe certe exoptatis
„simum usum præbituræ.

LI.

Tanto facilius autem fortè foret, justam atque solidam
Methodiam, Chirurgorum tribui ita præscribere, ut illam in
gerendis suis negotiis, equidem in genere antè oculos habere,
in specie vero etiam, prudente judicio, ejus executionem ad-
ministrare discerent. Circumspectè nimirum, secundum di-
versitatem *affectuum* æque, atq; *corporum*, animum advertendo
ad rationes *temporis*, & veros *successus* illorum eventuum, qui
propriè tunc animo destinantur. Ne videlicet etiam hic, per-
petuò suo reliquo more, simpliciter & *formula*, tanquam ma-
terialiter, & ut in genere, usurpantes ea quæ commendantur,
de *tempestiva* singulorum *subordinatione* parum cogitent. U-
bi nempe, reverà, inter ineptias, nudam atque crudam empiri-
am amplectentium, non ultima est illa, quod, si modo ap-
plicuerunt, quæ certo profutura ipsis persuasum est, nullam
amplius rationem *temporis* aut *successuum*, aut *subordinatio-
num*, cordi habeant; sed potiùs, si non statim sequatur, quod
illi quidem putabant, vel de affectûs *indole* inanes sibi conce-
ptus forment: vel ab uno remedio ad alterum, & in primis *po-
tentius*, desultando, meliores, *placidiore*s, eventus temerè
interpellent; *intempestivas* subinde *commotiones*, sine causâ
atque usu, introducant, aut ad minimum magis legitimis pro-
gressibus, confundant: adeoque undiquaque, alia perpetrent
& impetrent, quam quæ conveniebat.

LII.

Habet autem talis justæ *Methodi* imperitia, reverà tan-
tum momentum, ad pervertendum etiam passim, universum
ejusdem, non solum utilis passim existat; sed etiam citra ean-
dem, omnis certe labor in vanum recidat; aut quicumque et-
iam adhuc sequitur operatus successus, tardius & incommodi-
us procedat, quàm debuisset & potuisset fieri: re ipsa vero
Chirurgus ita *anomaliam* hanc assequatur sanationem, ut in
po-

posterum, pares alios casus, frustra eadem, *confusa* præfer-
tim communiter, tractatione, superare, in animum indu-
cat. Libet exempli loco nominare, supra jam tactum illum
affectum, quando, & imprimis concalescente corpore, ab im-
portuniore scalptione, aut à contusione ad notabilem excori-
ationem, in anteriore parte *tibiae*, nascitur Ulceratio aliqua,
cincta lato quadantenus, sed tamen veluti levi, *rumore* cutis
rosei coloris, & *nitidae* consistentia. Ubi certum est, Ulcus
illud, quantulumcunque etiam fuerit, nunquam cessaturum
esse, aut constanter consolidatum iri, prius quàm cutis in
ambitu ejusdem, dicto modo affecta, hanc constitutionem
amiserit, & reliquæ universæ cutis sinceram consistentiam re-
cuperaverit: quo demum impetrato, nullo negotio succed-
it ulceris ipsius sanatio, imò sponte quasi procedit. Quod al-
ioquin, sub variis inanibus tentaminibus, jam *manationem*
ejus *resiccandi*, jam *Balsamicis* sanationem introducendi, jam
rumorem illum & *effluxum* quoquo modo *discutiendi*, jam,
subinde *nigerriam* superficiem ulceri eventientem *absumen-
di*, aut *acrius* abstergendi, &c. è simplici, in deterius conji-
citur, aut certè de reliquo etiam patienter toleratum, nihil-
ominùs in plures etiam annos perdurans, passim invenitur.
Quamlibet autem etiam in vulgaribus simplicioribus casibus,
in *Vulnerationibus* gravioribus, *Defensiva* sua remedia; in
Apostematibus, duriorum adhuc *ambitum* *Emollientia* atque
Resolventia: in *Ulcerebus*, convenientia *Abstergentia* &
Mundificantia, spei consolidationis præmittere, doceantur
Chirurgi: obtingit tamen, certè sæpissime, deprehendere,
quomodo minus adhuc periti, & sufficiente discretione de-
stituti, circà has quoque res jam *præpostere* versentur; jam
vero ad minimum *tempus*, & evidenciores suæ spei *succes-
sus*, recte dijudicare nequeunt. Unde certè tanto magis
commendandum illis esset, ut vel minùs exercitatus peritio-
rem, vel quilibet tandem, *Medicum cordatum* atque *peri-
tum*, super ejusmodi dubiis consulat, eorumque illustra-
tionem ita expetat.

Postquam autem ita, quantum satis esse possit, de vulgarioribus rebus Chirurgicis, imprimis autem *Chirurgico-Pharmaceuticis*, locuti sumus, circa quas non solum *competat Medico*, sed etiam *conveniat*, & quoadantenus *incumbat*, & certò quidem in *publico officio* Civitatis aut Provinciæ, constituto, *invigilare, præsumtuosis*, ceterum malè fundatis, ejusmodi ausibus: Ita veniunt adhuc pauca verba dicenda de peculiaribus illis *generosioribus*, & certe etiam singularem *Experientiam* in habitum deducendum exigentibus, operationibus, *Cataractæ depositione, Herniarum, & Calculi Vesicæ, excisione & extractione*. Memorabilis hoc nomine reverà est, *Hippocratis* cautio, quam ipso suo *juramento* comprehendit; interdicens nempe expresse, & sub *juratâ* fide, discipulis suis, à *Lithotomia*. Non quod simpliciter totam operationem rejicere, arbitremur; sed quod, cum ipse discipulos suos talem operationem non doceret, eamque non solum planè *peculiari*, & non apud unumquemque hominem promiscuè supponenda, *dexteritate* indigere, satis intelligeret: & tamen sub quantumcunque benè instructa operatione, *periculum*, tanto magis per *individuales* circumstantias, satis perpetuo certum, agnosceret; quod ita his maximè respectibus cavere voluerit Medicinæ sectatoribus, ne *se, artem*, & maxime *patientes*, periculo exponerent; In quo etiam rectissime sine dubio egit.

LIV.

Quà videlicet occasione vitio nobis verti non poterit, si paucis attingamus, licet parva spes sit assequendi, illum usum, qui inde locupletissimus certè sperari possit, nisi duplex impedimentum obstaret, vix superandum. Loquimur autem de *Selectu*, 1.) ad Chirurgiam adhuc *descendam* magis idoneorum, 2.) ejus *exercitio* sese probantium, subjectorum. Equidem in omnibus artibus tractandis, summam esse hu-

jus

jusmodi solertiae utilitatem, nemo sanã ratione præditus ne-
 gaverit; dum utique ingenii habilitas, non solum minus laborio-
 sum reddit ipsum discendi conatum, sed ad penitio-
 rem etiam objecti intellectum, & feliciorum habitum, uni-
 cè traducit. Cum ex adverso, humano arbitrio *distributis*
 & quoquo imperio, *injunctis* officiis, dum internam *habi-*
litasem ad optime administrandum negotium, humana man-
 data, aut quancumque favores atque gratiæ, tribuere non
 valent, vanus non solum fit omnis labor, sed, quod in hu-
 manis rebus pessimum, non solum *in irritum* recidat, sed
in contrarium communissime, totum propositum. Si ita-
 que etiam ad Chirurgiam *discendam*, adhiberentur mox i-
 donea ingenia, & non ita promiscuè quilibet, quorum *pa-*
rentibus, aut *heris*, illud ita placet, discendæ huic arti addi-
 cerentur, melius sine dubio, & sæpius quidem, cederet spes,
 quam vulgo evenire deprehenditur. Cum autem hoc pro-
 pmodum inane sit consilium, restat alterum; ut jam in Pra-
 xi versati, ejusque singulari *dexteritate* conspicui, dico,
publicè per civitatem aut provinciam *notis* exemplis com-
 mendabiles, ea prudentiâ *foverentur*, & *invidia* atque *ca-*
lumnia usitata adversus illos machinamenta, etiam severè
compescerentur. Id quod certè multò facilius factu videri
 potest, quam *selectus* ille ingeniorum ut à priori, quæ ad
 minimum *morales* depravationes, posthac in transversum
 agere possunt. Interim, jam antè agnovimus ipsi, difficul-
 tates duplices; dum 1) ad *Chirurgiam*, nempe *manualem*
 operationem, reverà talis *indolis* atque *ingenii* subjecta re-
 quiruntur, à quibus omnia, ad *amissum* quasi, justa & æqua,
 adeoque etiam *prudentiæ* ex assè respondentia, expectari,
 nedum exigi, non possunt. Complecti enim debet tale
Chirurgicum ingenium, *promptitudinem* ad agendum; non
intrepidam solum, sed etiam reverà *audacem*, animi habi-
 tum; consilii quoque, ut inter suas res, capeffendi, animi
præsentiam; & neque multæ *dubitationi*, neque inani *com-*
mi-

miserationi seu *teneriori* affectui, pronam & expositam animi dispositionem. Qualis animi habitus, inseparabilem quasi comitem habet alteram illam animi *ideam*, ut magis *volatica*, minus *composita*, minus *assidua*, minus *temperans* atque *paciens*, magis autem *obstinata*, *jactabunda*, adeoque audiendorum aliorum consiliorum *aspernabunda*, concurrat indoles. Unde etiam, 2.) nisi laudatum illud à nobis consilium, tales homines *fovendi*, cum magna *prudencia* ad effectum deducatur, proximum est, ut *insolentes*, *fastuosi*, *rixosi*, imò *negligentes*, evadant: aut, per ipsam negligentiam, & confidentiorem audaciam, tandem magis magisque *temeritati* tribuere, in animum inducant. Unde quidem & bona fortuna opus est, & prudente ejus modamine, si hæc res ad votum exire debeant.

L.V.

Justissimum autem omnino est, & vero optimi *Magistratus* officio consentaneum, ut, sicuti malos atque refractarios coërcitio, ita *bonos*, reverà etiam *favor*, *commoda*, *prærogativæ*, *præmia* maneant; talia tamen & tanta, quæ non *oneri*, *fastui*, aut *invidiæ*, sed vero *usui* esse possint impe-
trantibus, eosque ad tanto majorem in rebus suis gerendis *solertiam* animare. Et fient hæc maximè, quando *Platonis Respublica* rectè constituta erit. Si tamen *prudens Medicus*, etiam, quantum in ejus potestatem cadet, seriam harum rerum rationem habebit, poterit fortasse etiam ipse momentum aliquod adjicere, quod ad auspiciatum harum rerum successum adjuvare valeat: qui nempe omnibus modis utique promoveri meretur.

L.VI.

Ultimum autem in hoc genere, seu potius supremum, est omnino illud, cui totum quasi ædificium nostræ Tractationis superstructum est, adeoque nullo modo negligentius haberi
Por-

potest aut debet. Est autem hoc, ut *Medicus* curæ cordi que omninò habeat, rectè intelligendæ, atque optime æstimandæ Praxeos *Chirurgicæ Instrumentalis* studium; aded, ut licet *manualem* habitum ejus, neque possit, nec etiam velit, imò ne quidem debeat, perdiscere seu acquirere: tamen *intellectum* sufficientem, atque *rationalem* usum & habitudinem illarum, optimè comprehendat: ut ita bene fundatum atque prudens judicium, de his rebus formare possit, (ubi etiam ineptis *præfigurationibus*, ipsi operationi deinde non facile conciliandis & applicandis, nihil tribuere, meminerit,) ceterum autem etiam hac in re, semper *mitiorem* viam eligeret, in admonitionibus, aut correctionibus instituendis, in primis *per initia*, & ergà homines non *obstinatos* aut *insolentes*, quos potius maturè, *Superiorum* curæ atque animadversioni commendabit.

LVII.

Pharmacie vero *Chirurgicæ*, quantam usquam possit, diligentiam adhibere, eamque sibi non solum notissimam reddere, sed etiam *Theoreticam æstimationem*, usitatarum formularum, prudente pensitatione optimè excutere; *Præficam* verò etiam efficaciam, ex observatione experientia, solertissimè annotare & expendere; partium suarum omninò ducet. Imò, uti facile intelligere poterit, quod vera atque solida *Ætiologia* seu *Pathologia* hujusmodi affectuum, quibus talia remedia destinantur, vera sit *cynosura*, ad dirigendas *indicationes*, & quasi circumscribenda auxiliorum idoneorum requisita; ita studebit quidem quam maximè huic proposito, pro quo feliciter obrinendo etiam optamus ipsi felicia auspicia, ad divinandum, *ubi* illam discere aut invenire debeat: Indicabimus interim etiam adminiculum aliquod, & rectificationem acus illius *magneticæ*, adversus insignes declinationes, quibus alias etiam in genere, nedum

G in



in specie, exposita est: Nempè, prudentissimam *observatio-*
nem agnitionem, & *estimationem*, præsertim in actuali-
 bus *continui solutionibus*, *Operationis Naturæ* ipsius, circa
structuram partium adornandæ, regendæ, reparandam: ut
 inde informare possit intellectum suum, *quid & quantum*
 hic valere possit, *quousque* prodesse, & *quid* proprie tan-
 quam *scopum* certum sibi proponere, *artificialis* intentio
 atque cura: *Efficere* verò, verè, & sine vanis nudis polli-
 citationibus, possit, energia ipsorum pharmacorum. Quo-
 modo etiam insuper, subinde effectuum talium, tam *perti-*
naciori durationi, quam *symptomatibus* pejoribus, occur-
 rendum veniat per *interna* Remedia, tam *corrigen-*
tia quadantenus acrimoniam serosam, quam inprimis ad justam *Dis-*
cussionem, & tandem ipsam *exonerationem* facientia. Qui-
 bus rebus plurimam lucem affundet antea commendata ve-
 rior *Pathologia Chirurgica*; seu verus conceptus de proprio
Subiecto Lætionum, quatenus illud, sive *Sanguinis*, sive
 crassioris *Lymphæ*, sive solius tenuioris *acrioris Seris*, sive
salivalis fermentescens substantiæ, *aditui*, *detentioni*, ac-
 cumulandæ *stasi*, & tandem ita variæ *corruptioni*, quam ma-
 xime patet: tum etiam ipsæ *Partes* continentes, magis aut
 minus *porosæ*, tonicis *stricturis* magis aut minus aptæ, ad-
 eoque etiam, eo ipso, ad *tolerandam* magis passivè, & ma-
 gis magisque *receptandam*, materiæ copiam: aut contrà, et-
 iam *repellendam* jam factam *stasin*, simulatque per idonea
 Remedia, tam *corruptum* dometur aut auferatur, quam *re-*
ventum tantum, adhuc minus corruptum, ad sufficientem
 fluxilitatem reductum sit. Ubi insuper, *Temporis* habitum,
 tam ad *subigendam* materiam, quam etiam ad *corrumpen-*
dam, & tandem ad ipsos *successus* dispulsorios, tam ratio-
 ne quam experientia metiri, & hanc rem optime perspicere,
 & perdiscere, cordi habebit.

In *Manuālium* autem *Operationum* *Directione*, *ratio* nem habere meminerit, *Situs Vasorum*, insigniorum funicularum *nervosorum*, *Tendinum*, *Musculorum* ipsorum. Ne nempe horum aliquid, temerè, & præter *necessitatem*, rescindatur. Si verò *necestitas*, sive citatam opem, sive *hanc & non aliam*, efflagitaverit, recordabitur disterii, modo *sanus sensus* observetur, non male fundati: *Melius esse membrum aliquod commodo sui usu privari, quam agrum vita*. Nominatim autem in *Arteriarum* vulneribus, (dico, *Incisionibus* non ad plenam *dissectionem*, factis,) si vulnus, uti certè immediatam, ita etiam mediatam, supra illud versus cor, *arctiorem* talem *compressionem* non patitur, ut citissima vulneris sanatione, deinde sperari possit sufficiens *mora* obligationis sine religatione, sub qua arteria iterum *consolidescere* possit, quod omninò longum tempus requirit: interim verò *Hæmorrhagiæ* graviter urgeant, & *sanies* vulneris etiam labia *vasis vulnerati* depravet, unde nulla *Consolidatio* in hac parte amplius speranda venit: Ibi potius *plenam Dissectionem* suadere meminerit, quàm ut consentiat, patientem temerè viribus exhauriri, per incompefcibiles *hæmorrhagias*: vulnus totum, & *inutiliter* insuper, depravari, per nuda *Adstringentia*, aut *Acida* coagulantia, aut quoscunque similes ausus: si *Spiritus vini rectificatissimus* spem *cobibendi* destituerit. Nunquam autem *Arteriarum*, *incisione* solum affectarum, *Ustioni* consentiat: utpote non solum *Experientie*, sed etiam omni *Rationi* adversantem, & *consolidationem* talis arteriæ, *in perpetuum* irritam, imò *impossibilem* reddenti.

LIX.

Sicut autem in genere pro vero generali *Officii* sui scopo, reputabit, ut *Temeritati* & *Imperitiæ*, & utriusque con-

tumaci prosecutioni, obices ponantur; ita *errantes*, salutaribus interim monitis auscultare paratos, humaniter tolerare, & melius instruere, & *commonefacere*, cordi habebit: nihil usquam affectibus, aut proprii commodi aucupio; tribuendo. Quod si fecerit, secundum optimam Scientiam, quâ ipse pollere debet, & bonam Conscientiam, *Officio* suo rectissime functus erit. Id quod & optamus, & commendamus.

DEUM vero T. O. M. quod etiam nos nostro officio nobis in hac re evolvenda incumbente, fatis commode, ut speramus, fungi largitus sit, humillimis laudibus gratissima mente celebramus.

S. D. G.



Halle, Diss., 1710 S

ULB Halle

3

003 768 961



56

VD18







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

3. 1710 31 172 4
INAUGURALIS MEDICA,
DE

PRO MEDICI CASUS CHI- COS DICTOS.

Quam
DIVINIS AUSPICIIIS;
SIGNIFICENTISSIMO,
PRINCIPE AC DOMINO,
FRIDRICO WILHELMO,
PRINCEPS, MARCHIONE BRAN-
DENBURG DUCATUS MAGDEBUR-
GENSI, NATORE, RELIQUA,
CIVITATE FRIDERICIANA,
PRÆSIDIO
ERNESTI STAHL,
PHYSICORUM NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.
LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. P. T.
SPECTATISSIMI,
MOTORIS SUI, OMNI OBSER-
VATIONIS CULTU æTERNUM PROSEQUENDI,
SOLICITUDINE ET
COURTESIA,
SOLICENTIA,

HONORES, Jura, ac Privilegia rite
sibi capessendi,
MDCCLXX, H. L. Q. C.
in disquisitioni submittet

GEORGIUS Hertel/
S. WURCENSIS.

CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

